rum. Dicat ipſe & præſcribat, quid facto opus eſſe cenſeat; ſe id omne præſtiturum. Quid ad hæc Briſtolius? non opus eſſe, inquit, hac gratiarum actione, nec tanta pro ſua ſalute cura & ſollicitudine. Nam primo, quidquid hactenus in Hiſpania & cum rege negotii geſſerit, id non eum in finem feciſſe, vt Hiſpanis rem gratam faceret, eorumque emolumento conſuleret; ſed ut regi ſuo fidem & obſequium, cuius iuſſu & mandato nihil non egerit, probaret. Deinde ſe quidem pro tam prolixo regiæ beneuolentiæ teſtimonio cumulatiſſimas gratias agere: non tamen neceſſe habere, vt in vlla alia re, quam in bonitate & iuſticia regis ſui, tum in propria conſcientia, innocentia & integritate, quæ vtræque tam manifeſtæ & perſpectæ ſint, vt nihil ſibi periculi immineat, fundamentum ſecuritatis & ſalutis ſuæ ponat.

Jacobum Spenſium tuo nomine ſalutaui, & ei expoſui, quæ iuſſiſti. Sæpiſſime & ferme quotidie viri illius conuerſatione & familiari congreſſu fruor. Confidentes & incuſtoditos inter nos ſermones de omnibus rebus, maxime de iis, quæ communem & meliorem cauſſam competunt, plerumque cædimus: tui autem nequaquam obliuiſcimur. Rex facultatem quidem dedit Roberto Stuarto conſcribendi vnam & alteram legionem pro Polono: verumtamen ea cum conditione, ne milites contra Suecum ducantur. Crede mihi, omnis iſta Stuarti molitio in fumum abibit, & Horatii prouerbium confirmabit canentis:

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Pecunia enim, neruus rerum gerendarum, & quæ neceſſaria eſt ad milites alliciendos, concenturiandos, & conducendos non eſt in mundo. At ſine his ne calonem aut caculam conduces ad bellum. Videntur res inter ambos iſtos boreales reges, Suecum & Danum intelligo, ad tumultum & diſſidium proclinare. Intereſt autem reipublicæ chriſtianæ permagni, vt ea occupentur & in herba opprimantur, ne matureſcant & in nervum

vum erumpant. Igitur Spenſius noſter apud Anglum, qui pacis & pactorum inter vtrosque velut arbiter eſt & cuſtos, inſtat, vt orituras diſſenſiones componat.

Seraphicus noſter pater, cum hæc dictarem, me acceſſit, ſed mox iterum digreſſus eſt, quia animadvertebat, me moroſiorem & difficiliorem in ſe auſcultando & paria faciendo. Quid agat, quæris? categoricum reſponſum a Rege ſibi quam promtiſſime dari, flagitat pertinaciſſime: quo impetrato, hemerodromum ſeu curſorem diarium ad Bauarum transmittet, vel ipſe ad eum contendet. Illius enim maxime referre, noſſe quamprimum et ſine cunctatione voluntatem regis, vt, ea cognita, conſilia ſua queat exinde dirigere, et res domeſticas in tutiorem ſtatum collocare, ſecundum temporum formas eam capturus viam, quæ ſit omnium optima. Me quoque continuis precibus, obteſtationibus, interpellationibus phaleratus iſte fatigat, et per omnes deos deasque obſecrat, vt annitar et efficiam, ne diutius detineatur et ſine conuenienti reſponſo relinquatur. Haud ſcio, an credere homini debeam cum tanta iactantia ſollicitanti: quæ fiunt iactantius, fiunt ſimulatius. Anguem ſane ſub herba, et ſcorpionem ſub lapide latere ſuſpicor non vanis indiciis; proinde in omnes partes oculos emitto, et caute incedo. Nam quod tantopere vrgeat et depoſcat, vt rex conſentiat, vnum aut alterum liberorum regis Friderici apud principem, Romanæ ſuperſtitioni addictum, educari, addita hac ſpe, fore, vt in ceteris conditionibus omnibus nihil difficultatis et moræ ſit ſuperfuturum, non eſt medius fidius ſine myſterio magnæ fraudis. Si mentem tranſigendi haberent, nihilque ſceleris ſub illa conditione occulerent, non vtique circa rem, quæ a noſtris cum conſcientia et honore concedi non poteſt, tantum negotium faceſſerent. An non aliud cautionis genus petere poſſent? nam illud, quod per obſides fit, principium filiis velut in pignus et ſequeſtrum traditis, nouum, inuſitatum,

tum, et in Germania, niſi cum ſub barbarie eſſet, fando nunquam auditum; tum etiam ignominioſum eſt tam conſentienti quam accipienti. Hoc ſcilicet agunt, vt filios & hæredes tum regni Angliæ, tum Palatinatus in poteſtate habeant, quibus ad pontificiam religionem perductis, uti poſſint ad pernicioſa conſilia, quæ contra nos & religionem noſtram, quam penitus exciſam volunt, commode exſequenda. Filius certe regis Carolus vitæ ſuæ ſecurus non eſſet, ſi filii Sereniſſimi noſtri principis in poteſtate ſacrificulorum & Jeſuitarum eſſent. Sed de his alias pluribus. Jam vale. Dabam Londini XIII. Kal. Mart. cIↃ IↃ c xxiv. (a)

(a) *C. Litteras Rusdorffii a Miegio & Nebelio celeberrimis viris editas p.* 289. 90.

Epiſtola IV.

Bis terue ad Sereniſſimum noſtrum ſcripſi; ſed ad te, Vir ampliſſime, nihil addere potui, quia per occupationes, quas comitiorum, quæ nunc hoc in regno aguntur, dies natales, hoc eſt initia, ingerebant & multiplicabant, non licuit. Tum etiam mei officii intererat, rebus omnibus relictis, diligentiam & fidem in expediendis & perſcribendis negotiis Domino teſtari. Orationem ei, quam rex ad ordines in panegyrico conſeſſu, regalibus ornatus inſignibus, cum magna ſolemnitate et applauſu omnium ſubſelliorum habuit, nudius quintus transmiſi deſcriptam, quemadmodum eam ego memoria comprohenderam, et ex ore loquentis auditam in animum demiſeram, et poſtea domum reuerſus gallico idiomate expreſſam, et in compendium redactam ſtylo effoderam. Nunc integram et ipſiſſimis, quibus pronunciata fuit, verbis amictam, et per eos, qui notis linguam ſuperant curſumque loquentis, exceptam, in apographo mitto. Ex comparatione vtriusque videbis, me firma ſatis et tenace adhuc memoria præditum eſſe. Sed ad quid iſta oſtentatio et deprædicatio

dicatio memoriæ? Ergo ad rem. Quid inferioris Curiæ aſſeſſores ad regis orationem reſponderint, qualemque in cauſſa Palatina ſententiam rogarint, quid denique rex iterum exceperit, et in conſultationem denuo deduxerit, illud ex meis, quas ad principem noſtrum ſcriptito literis, cognoſces. Omnibus indiciis apparet, ordines autoritate et inſtigatione Caroli principis, et Bukinghamii motos et accenſos, eò omnes conatus et conſilia conferre, vt ipſis gratificentur, h. e. regem Jacobum e veterno diuturnæ et ignauæ quietis excitent, et ad bellum contra Hiſpanum perpellant et inducant. Non enim aliter honori et exiſtimationi eius conſuli, non alia ratione ignominiam acceptam vindicari, non alia via Hiſpanos ad rationem cogi, Palatinatumue recuperari poſſe quam armis.

Jam ad binas tuas peramplas, III. Non. et IV. Idus Febr. exaratas, deuenio. Non autem neceſſe arbitror, vt omnia earum capita attingam, aut ad ſingula tua ſcita diſtincte et prolixe reſpondeam. Nam te bona cum venia ad relationem meam, quam Friderico regi nunc transmitto, remittam: in ea vt plurimum tuis quæſtionibus et dubiis ſatisfactum eſſe reor. Quod monachum noſtrum attinet, non erit amplius opus, primam et imam ceram, ſicut hactenus fecimus, eius nomine implere. Cogitat enim de diſceſſu, et ſarcinulas ſuas colligare incipit. Animaduertit conſilia ordinum cum ſuis nequaquam conuenire, nec tutum ſibi eſſe, diutius Londini inſtitorias operas exercere, et venales extrudere merces. Timet non ſine cauſa, ne, ſi commoretur longius, & rem per ſe ſuſpectam, & ordinibus ingratam, alieno tempore nimis feruide vrgeatur cum ignominia dimitti, vt tanquam emiſſarius deduci iubeatur. Ego operam do & annitor, vt cum bona regis gratia, cumque reſponſo commodo & moderato, quod non alienam a compoſitione mentem declaret, dimittatur. Totum negotium ita inſtruendum eſt, tum ne nobis culpa im-

putari poſſit repudiati oblatæ conuentionis colloquii, tum ne videamur impedire & remorari fortiora & maſcula, ſi qua in procinctu ſunt conſilia, h. e. πολεμικὰ, qualia principi Carolo & Ordinibus placere videmus. Ego certe ſemper iſta ſtatui, omnem illam negotiatoris monachi negotiationem nihil aliud eſſe, quam fucum, & perſonati hominis perſonatam & laruatam actionem ad hunc duplicem finem directam. Primo vt Anglorum conſilia, ſcopum, & quid quantumque in rebus Germanicis, & inprimis in cauſſa reſtitutionis Friderici regis nunc, poſtquam princeps Carolus ſpe matrimonii decuſſa ex Hiſpania rediit, plenus indignationis, & iniuria denegatarum nuptiarum in vindictam accenſus, facere parent valeantque. Deinde, ſi viderint, Jacobum reuera conſilia & apparatus belli inſtituere, & rerum Germanicarum curam generique cauſſam, renovato & centracto arctiore cum Batauis, aliisque amicis fœdere, ſerio defendendam ſuſcipere, eum auocent & ambiguum ſuſpenſumque teneant, propoſita vana fallacis compoſitionis ſpe. Si Bauarus & Imperator ex animo deſiderarent rem tranſigere incruentis conditionibus, & Palatinatum reddere, reconciliato ſibi Friderico, nœ propter ſolam illam abſurdam conditionem, & in qua non eſt poſitum rei ipſius fundamentum, quæ illis denegatur, haud e manibus elabi ſinerent optatam hanc occaſionem componendarum cum honore & vtilitate rerum, imo moderatiores & faciliores magisque comes ſeſe præberent, præſertim cum animaduertant, res hoc in regno ſpectare ad arma. Sed, ni fallor, non multum ſibi timere videntur ab Anglis, quorum ingenia & actiones perſpecta habent, & in ſpeciem atque in oſtentationem tantum validas & magnificas, ad rem vero emortuas & vanas, eſſe autumant. Ego quidem non dubito, quin breui rem viribus ſint geſturi, & Hiſpanis bellum illaturi: ſed haud ſcio, an multum inde vtilitatis vel nos & respublica, vel ipſi conſequentur; non tantum

tum propterea, quod bella non eo feruore continuantur, quo inchoantur: ſed, quia omnia nimis præcipitanter, & cum magno ſtrepitu, & cum inconſulto calore, prurientibus in bellum animis, deliberari & decerni video. O! vtinam efferueſcent, & importuoſo iſti ſtudio moderatiora & excoctiora conſilia adhibeantur, & prudentior rerum diſpectio & periculorum euentuumque matura conſideratio, voluntatem denique aliorum principum, quid ab eis nimirum expectandum ſit, exploratio accedat. Quicquid tandem ſit, ſi conſpexero regem & ordines ad bellum ſeſe accingere & apparare, dabo operam, vt Comitis Erneſti Mansfeldii ratio habeatur, & is ad ducendum e regno exercitum dux conſtituatur. Quis enim eo magis mereatur, quis eo dignior, qui ſecundarum ambiguarumque rerum ſciens, in omni genere belli a teneris annis varia fortuna verſatus eſt? Ipſius auctoritas & virtus & peritia rei militaris, tot indiciis probata, ſatis cognita eſt etiam apud Anglos, & plurimum æſtimatur. Non potes credere, quantum eum faciat noſter monachus: dicit, Bauarum a nullo ſibi plus timuiſſe, nullius conſilia, arma & machinationes magis reformidaſſe, neminem rebellium plus negotii faceſſiſſe Cæſareanis, quam eum. Contra Hiſpanos meliorem & aſtutiorem belli ducem reperiri non poſſe in Europa. Vehementer autem pertinet ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii de imperatoribus exiſtiment, inquit Cicero.

Me pretium operæ facere arbitror, quod efficio, vt Seraphicus ille pater cum conueniente reſponſo & cum declaratione excuſationis dimittatur. Sane res ita geſta eſt, vt culpam rupti vel reiecti negotii compoſitionis non nobis, aut Sereniſſimo noſtro principi imputari queat. Intereſt autem noſtrum, vt hominis iſtius amicitiam nobis conſeruemus. Neſcimus enim, an ipſius opera non poſſit eſſe aliquando vtilis. Vt homo homini diabolus eſt, ita interdum etiam Deus eſt. Si ad

vos, vt plane constituit, venerit, humaniter & comiter velim excipiatis, & ei beneuolentiæ & amoris officia præstetis. Serenissimum nostrum & eius liberos videre & alloqui cupit; vt ei ad hoc viam muniam, & faciam, vt gratiosè & beneuole habeatur, literis meis commendatiis adstipulabor. Tralatitia ista humanitate efficiemus, vt non solum os calumniatoribus, obstinationem animi, & præfractam ad res nouas fouendas pertinaciam, in nobis accusantibus obturemus; sed vt etiam modestius & æquius monachus iste de nostris actionibus & consiliis iudicet, sentiat & loquatur; Cæsarem etiam, Bauarum & alios de modestia nostra, & quales nos offenderit & expertus sit, informet. Hoc cum fecerit, quod sine dubio non omittet, relaturus omnia singillatim, quæcunque viderit & audiuerit, eos in pudorem & silentium coniiciet, & nos hoc inde beneficium consequemur, vt nostra innocentia & manſuetudo manifestior, iniustitia vero & malitia inimicorum detestabilior fiat.

Quod Roberti Stuarti negotium attinet, scito, regem Jacobum, pro facilitate sua motum importunis hominis precibus, non solum facultatem ei dedisse conscribendi in Anglia milites; sed etiam consensisse, vt tyrones inseruiant Polono contra quosuis hostes. Hæc euangelia rex ipse perscribere & significare volebat Polono, cui rem pergratam ipsum facturum esse Stuartus asserebat & instabat. Quid fit? literæ iam traditæ erant perferendæ cuidam famulo: hunc Jacobus Spensius, de ista collusione certior factus, e via retrahi, & detineri facit, expostulans vehementer apud regem & regios ministros de indignitate facti, demonstrando id esse contra fidem sibi datam. Præterea valde absurdum, & pernicioſum esse ipsi regi, si hoc tempore, quo Suecum & alios hostes Poloni sibi demereri, & ad societatem secum ineundam inuitare velit, rem tam indignam, suspectam, & odiosam concederet, h. e. si permitteret, vt imperio suo subiecti contra quoscunque Poloni hostes, atque

que ita contra Suecum etiam, arma ferrent. Ita hoc impeditum fuit. Etiamſi euidens erat, Stuarti conſilium de conſcribendo milite futurum nullum & inane, propter defectum pecuniæ, ſicut nuper ſcripſi, tamen plurimum referebat, ne talis a rege declaratio, qua propenſior in Polonum & alienior a Sueco voluntas declararetur, procederet.

Robertus Anſtrutherus, legatus ad Danum & alios principes Germaniæ deſtinatus, circa apparatus ad legationem iſtam neceſſarios occupatus eſt. Ille magna ſpe ebrius ſibi perſuadet, ſe ex animi ſententia negotium confecturum, & non tam Danum, quam omnes principes proteſtantes perſuaſurum, vt inita cum Anglis ſocietate, arma certatim ſumant pro reſtituendo Palatinatu, & ad Hiſpanos debellandos. Interea horum legati, qui adhuc hic tolerantur, & ad regem non raro accedunt, omnia ordinum conſilia, vt ſunt oculatiſſimi alienarum actionum & intentionum arbitri, obſeruant, & lynceo viſu in ſecretiora penetralia introſpiciunt.

Æneas oculis ſemper vigilantibus hæret.

Dum hæc partim ſcribo, partim dicto, regius ſcriba mihi legendas mittit literas, quas Rex ad Electores Saxoniæ & Brandenburgi ſcribit. O quam mutatæ ſunt ab illis, quas vel ego, vel Thomas Rhedus, qui eſt ab epiſtolis regi, præformauerat. Neutras enim meticuloſus & tepidus ſenex approbauerat, eas ſeueriori & confidentiori calamo ſcriptas, nimiumque ſpei dare & promittere clamitans, ideo, quæ in iis erant maſculius & aſſeuerantius dicta induci, & tepidiora atque ficciora ſuccentuarri iuſſit. Quid dicam? ſuper arenam maris mœnia conſtruimus, & in aëre fundamenta ſpei noſtræ collocamus. Quid literæ iſtæ tanta cum timiditate & fluctuatione ſcriptæ, tam frigide & dubitanter conceptæ, nullum virilis & magnanimæ ſententiæ ſpecimen, neque adhortationem grauiorem, neque auxilii promiſſionem continentes, ponderis habebunt? Non eſt ergo

ſine cauſſa, quod quamplurimi ſtatuant & pro certo credant, Jacobum, etiamſi in gratiam ordinum & adoleſcentum ſimulet, ſe ad arma capienda, & ad exuendam, quæ ei intercedat cum Hiſpano, amicitiam inclinatum, animo tamen huic adhærere, & nihil minus, quam bellum cogitare ; in ſpeciem tantum ordinibus ſuffragari & complacere. Sed ne vlterius progrediar aut indignationi meæ fibulam laxem, deſino. Vale, vir optime, noſtræ lumen Germaniæ. Dabam VI. Kalend. Mart. clɔ Iɔcxxiiii.

Epiſtola V.

Septima iam nitidum terris aurora diisque
Purpureo vehit ore diem,

cum ad omnes tuas literas, Ampliſſime Vir, reſponſionem dedi. Inpræſentiarum pauca occurrunt ſcribenda. Te enim ſemper remitto ad eas, quas Sereniſſimo noſtro regi ſcribo. Cum igitur illas tibi ſemper legendas & inſpiciendas tradi ſciam, nihil cauſſæ eſt, vt tædioſa & inutili repetitione te onerem, & mihi inanem & futilem laborem vltro accerſam. Comes Briſtolius, de quo nuper mentionem feci, in viam ſe dedit, propediem hic futurus. Scripſit & ſignificauit per literas prænuncias reditum ſuum, ſimul etiam addidit, Hiſpanum potentiſſimam claſſem, quæ hoc primo vere vela factura ſit, in parato habere : ſe itaque monere, vt ſibi Angli caueant & proſpiciant. Quamquam hoc ad perterrefaciendum regem & ordines inflatius & auctius, quam res ſit, ſcripta eſſe putentur: attamen rex ſtatim iuſſit naues aliquas prætorias, quanta fieri poſſet diligentia, apparare & inſtruere, vt non tam ad defenſionem, quam ad omnem aliam occaſionem præſto eſſent. Opus eſt viſo & cauto. Hoſtis enim vigilantiſſimus & aſtutiſſimus, momenta temporum circumſpicit, & in omnes partes excubat.

Samuel Weiſſius, comitis Mansfeldii negotiorum geſtor,

ſtor, huc venit: mecum confidentiſſime res ſuas communicat, & nihil cum rege regiisue miniſtris agit, in quo non prius conſilio meo vtatur: & ſic iuſſus eſt. Ego ei ſane fidam operam præſtabo, et negotia, quæ habet in commiſſis expedienda, omni cura, & quantum in me erit, promouere annitar, ipſo opere declaraturus, me præſtantiſſimi illius ducis, cuius interpres Weiſſius eſt, virtutes & merita permagni facere & æſtimare. Ipſum nonnullis proceribus, qui in non parua auctoritate & gratia apud principem Carolum ſunt, de meliore commate commendaui, indicans, eum vel maxime omnium mereri, vt ducatui præficiatur, ſi Angli aliquas copias in Germaniam ad recuperandum Palatinatum miſerint.

Scisne, mi Camerari, me libellum, exiguum quidem, & extemporaneum, in gratiam ordinum, qui flagitabant, confeciſſe? in eo breuibus & ſuccinctis rationibus & argumentis probare conatus ſum, regi nihil aliud nunc ſupereſſe, quam vt, inſidioſis conuentionum colloquiis repudiatis, rem viribus agat, Hiſpanos armis ad rationem cogat, & vltore gladio acceptas iniurias vindicet: paucis etiam ὑ ὀφθαλμοφανῶς demonſtraui, quanta fraude, tergiuerſatione, perfidia & dolo malo Hiſpani in colorandis pactis & promiſſionibus, & in protrahendis & eludendis compoſitionum colloquiis vſi, quamque ſcelerate & malitioſe bonitate & ingenuitate regis abuſi ſint. Quam primum libellus iſte impreſſus fuerit, ad te mittam: ſub prælo nunc eſt, & ex latino in anglicum ſermonem conuertitur.

Legatis Hiſpanis rex iterum copiam ſui fecit Hamptoncurii heſterno die. Frigidius præter conſuetudinem, hactenus obſeruatam, excepti fuere. Nemo enim purpuratorum ipſos deduxit, aut ad eſſedum, quo vehebantur, ſicut alias conſuetum erat, concomitatus eſt. Sed quid legati iſti fecerunt? cenqueſti ſunt de inſolentia & proteruia eorum, qui regem contra Hiſpanos incitare & in bellum perpellere ſatagant; multa fieri &

committi dicebant, quæ essent contra tabulas sacrosanctæ pacis & pactorum dotalium: se rogare, ne rex pro incomparabili probitate sua auscultet hominum impotentium, & priuatam vtilitatem quærentium, consilia præcocia & cruda, pœnitentiam allatura, neue rem in discrimen & ad bellum deduci sinat. Regem catholicum paratum esse, veterem necessitudinem sartam tectam conseruare, & regi Jacobo in omnibus, quæ a se iure peti & expectari possint, satisfacturum.

Legatos ordinum confœderati Belgii, qui heri aduenerunt, conueniam hoc vesperi. Ipsorum aduentus mihi profecto exoptatissimus est; me experientur promtum & fidum in ipsorum negotiis promouendis, modo opus habeant mea opera, quam eis addico. Non dubito, quin princeps Carolus & dux Bukinghamius valde sint gauisuri, ipsos aduenisse. Nam sibi persuadebunt, se scopum suum assecutos esse; cum tamen adhuc longe absint ab eo, quem res christiana ex ista coniunctione & fœdere, quod cum Batauis inituri sunt, consequi debet. Priuata magis mouent, quam publica. Olim dicebatur, quam iucundi sunt pedes annunciantium pacem: hic contrarium est. Nam isti legati non veniunt, mittere pacem, sed gladium: sunt tamen ὡρῶιοι οἱ πόδες αὐτῶν. Vtinam autem iste gladius nobis afferat pacem! gladio quidem opus est, si velimus habere pacem & nostra recuperare, sed necesse est, vt is stringatur in tempore & cum prudentia. Multum interest, à qua manu telum torqueatur & emittatur.

Vienna nos certiores faciunt, regem Hispaniarum adhortari & suadere Cæsari, vt quibuscunque posset conditionibus cum Daciæ satrapa pacisceretur, & transigeret, quo paratior & instructior esset contra Anglum, Batauos, & alios res nouas & bellum in gratiam Friderici Palatini moturos. Romani apud Liuium lib. XXIX. pacem cum Philippo & Epirotis faciunt, quia, vero in Africam bello, omnibus aliis in præsentia leuari bellis vole-

lebant: hos imitari Auſtriaci probe norunt, dum infamem cum Turcis pacem tam religioſe colendo, & iniurias, quas cottidie ab eis accipiunt, diſſimulando, omnem armorum vim contra Germaniam conuertunt, & vnum id bellum eſſe volunt, cui totis viribus incumbunt. O miſeram Germaniam! quæ tam altum ſtertit, & exitium, quod ei apparatur, non cernit. Sed ſatis nugatum, claudenda eſt pergula. Vale quam feliciter, o decus & præſidium meum. Dabam poſtridie Kal. Mart. CIↃ IↃ C XXIV.

Epiſtola VI.

Jam ad illas tuas, quas idibus & poſtridie idus Februarii per Abrahamum Prau, adoleſcente ἀξιογάπητον, ad me dediſti, Vir ampliſſime, reſpondebo; ſed paucis & calamo deſultorio, quantum ſiquidem otium & amicorum interpellatio permiſerit. Pro ſcripto illo gallico, cuius me participem feciſti, tibi haud vulgares gratias ago; & ſane meretur, quia non vulgare eſt, nec vulgariter mihi vtile fuit. Nam & amicis, quorum non contemnenda eſt in comitiis autoritas legendum & deſcribendum dedi. Ordinum Batauorum legati ante triduum auſpicato huc venerunt: cum iis de negotiis rempublicam tangentibus pluribus egi, licet per tranſennam, ſicut fieri ſolet in primo affatu. Illos diffidentiæ & ſuſpicionis vmbella præoccupatos deprehendo: vereor autem, ne magis diffidere incipiant, cum rerum apud nos Euripum, vt ita dicam, & tot in vno corpore formas adſpexerint. Ego quidem omnibus viribus contendo, vt eximam illum, qui magnis & arduis negotiis obluctatur, ſcrupulum. In aliquam quidem ſpem regius me ſcriba Eduardus Conwæus, & alii eius ſocii erigunt, dum per omnia ſacra mihi atteſtantur & adfirmant, breui cum Batauis fœdus Ηρὸς συμμαχίαν καὶ ἐπιμαχίαν, modo æquæ conditiones in medium proponantur, concludendum: quamquam ſagaciores, qui teſtudineam & ſimulatricem regis Jacobi naturam cognorunt,

rem procraſtinatum iri, autument. Quæ de ducis Bauariæ inualitudine, deque eius ad bellum obſtinato animo ſcribis, illa mihi quoque Andreas Paulius perſcripſit: aliunde autem, nempe Monachio, ex officina deceptionum & perfidiæ ſcribunt, Bauarum ſubinde, & publice quidem, vt ſimulatius, quo iactantius, rem agat, declarare, ſe a reſtitutione regis Friderici nequaquam alienum eſſe, imo deſiderare ut reſtituatur, modo paci & tranquillitati publicæ ſimul proſpiciatur, & ſuo honori & exiſtimationi nihil decedat. Quid aliud hoc eſt, quam velle bellum, & ut Bauarus ſit & permaneat Elector, Fridericus vero excludatur collegio ſeptemvirali in perpetuum. O Bauare, quo aſcendit & progreditur tua ambitio? quanta adhuc mala, calamitates & ærumnas ac turbas Germaniæ tua impotentia & cupiditate conciliabis?

Quantus equis, quantusque viris in puluere craſſo
Sudor! io quantum crudele rubebitis amnes!

Quanta diligentia & induſtria vtar in procuranda inter Anglum & Dacum amicitia, aliorum iudicium eſto. Ex iis, quæ Sereniſſimo noſtro perſcribo, intelliges, quo vsque res perducta ſit. Nihil eſt, quod æque inculcem, & apud amicos, quibus ius eſt ſuffragii in comitiis, vrgeam. Soleo enim omnes, quorum opera nobis commodo cedere poteſt, diligenter de rerum in Europa ſtatu, de principum & amicorum & aduerſariorum conſiliis, actionibus & intentionibus informare, & illud cum requiſita & tempori accommodata circumſpectione. Crebras enim literas, ſingulis ſeptimanis, diuerſis e locis cum Germaniæ, tum Galliæ, tum aliunde accipio; eas legendas & inſpiciendas viris cordatis & reipublicæ deditis exhibeo. Non omnem me operam & oleum perdere animaduerto. Deus, ſine cuius afflatu miſeri mortales nihil poſſumus, noſtris conatibus adſpiret benignam auram. Suecica quod attinet, illa tali loco ſunt, quemadmodum nuper ſignificaui: ego ſane, quantum

in

in meo ſitum eſt robore, nihil omitto, quod cauſſam & emolumentum optimi iſtius regis promouere poſſe animaduerto, identidem demonſtrans, quantum damnum bono publico acceſſurum, quamue vehementer Anglus Sueci amicos, cum quibus noua fœdera inire anquirit, ſit offenſurus, ſi conceſſerit, militem pro Polono in regno ſuo conſcribi & contra Suecum duci. Jacobus Spenſius, vir ingenii dotibus & prudentia ornatus idem perurget; is me quoque non indiligenter obſecrauit, vt fidam operam eundem ad finem impendam. Spero me hactenus haud in caſſum laboraſſe: eius rei teſtem virum iſtum ſanctiſſimum eſſe malim, quam me deprædicatorem. Quid de amicitia & fœdere inter Gallum & Britannum ſperandum ſit, Sereniſſimo noſtro perſcripſi, eò me cum bona tua venia refero. Si quoque nihil addo & ſcribo de progreſſu & conſultationibus comitiorum regni. Literæ enim, quas ad eundem Sereniſſimum ſcripturio, te abundanter de omnibus informabunt. De vertumno Monacho nihil amplius ſermocinari volo: omnia, quæ ex ipſo ſciſcitanda & perſcrutanda petiiſtis, & ego explorata habere potui, iam dudum vobis per literas ediſſerui. Daniel Weiſſius, quem ſalutari iuſſiſti, te reciproca conſalutatione impertit: is comitis Mansfeldii negotia ſumma fide & diligentia tractat. Vtitur autem in minimis maximisque meo potiſſimum conſilio, ac propterea eò attentius & fidelius ei præſto eſſe cogar. Meo me defungi munere arbitror, ſi fidem ei præſtem. Bonus ſcilicet conſiliarius non euentum, ſed fidem præſtat. Intelligo bellum Monachii prodiiſſe cum hac inſcriptione: Informatio Rusdorffii ad Palatinum, de legatione electorum & principum confœderatorum ad regem Daniæ. Additas eſſe complures tuas ad regem Fridericum literas. Si fieri poteſt citra moleſtiam, velim per te ejus mihi copia fiat. Habes nunc, Vir ampliſſime, breuem ad tuas vltimas reſponſionem: quam rogo æqui bonique facias. Bene vale, et me tuorum

rum meritorum imitatorem et æstimatorem scito. Dabam Londini Prid. Kal. Martii anno bisextili post natum Seruatorem clɔ Iɔ c xxiv.

Epistola VII.

Me nihil amplius de nostro monacho scripturum proximis significaueram: attamen iterum mentionem hominis facere cogor. Nam velim scias, Vir amplissime, eum telam negotiationis suæ iam absolutæ incipere retexere, dum obnixe et contentissime flagitat, vt compositionis negotium omne, quod hactenus proposuit, Anglus a se in Sereniſſimum nostrum remittat et transferat. Hoc enim modo et certius et facilius promtiusque compositum iri, ait. Nam Fridericum regem sui arbitrii et juris effectum, et ab Anglorum consiliis et imperio liberatum, sibi suisque rebus mature prospecturum, nec conditiones reconliationis repudiaturum. Quæ ea in re mea sententia et opinio sit, et quid illius causa egerim, discs ex iis, quæ ad eundem nostrum principem perscripsi. Mysterium subesse et scorpionem sub lapide abscondi, nullum est dubium. Metum quidem ab Oriente Cæsari et Bauaro incuti, certum est; sed non propterea trepidant, et compositionem proponi curant. Aiio fine et scopo faciunt; volunt nimirum Anglum, Batauos, principes Germaniæ, quorum interest, ne Bauarus in septemviratu constabiliatur, securos reddere, horum consilia et fœdera, ne progressum habeant, sufflaminari, impedire, euertere. Paulius noster vobis procul dubio significauit, Bauarum et Cæsarem per principem Eggenbergium duci Wittenbergico proponere compositionis et reconciliationis colloquium, atque desiderare, vt is partes interpretis et mediatoris vltro citroque agat. Si in Anglia consilia fortiora et constantiora arriperentur, et res cum fundamento et prudenti fiducia gererentur, aduersarii fortean ad aliquam moderationem et æqualitatem, et ad tolerabiles pacis conditiones subeundas cogi possent. Nisi vi et armis extor-

torqueamus ab iis ius et ſecuritatem, nobis medius fidius pereundum eſt, tanquam flori, quem tangit aratrum. Nihil moderati, nihil pacati, nihil æqui ſpirant iſti excidium et internecionem nobis, arisque et focis noſtris iurarunt. Precibus, pactionibus, promiſſis ſe flecti non patientur.

Non ſic abibunt odia, viuaces aget
Violentus iras animus et ſæuus dolor
Æterna bella, pace ſublata, geret.

Ordines regni huius magno cum colore et impetu ad conſilia bellica prorepunt: niſi regis cunctato obſtiteret et retineretur, iam ſtatim bellum contra Hiſpanos denunciarent, proclamarentque. Nudius tertius inter Regem, Ducem Bukinghamiæ et principem Carolum acres et vehementes ſermones, conteſtationes, et iurgia reciprocata fuerunt, quorum cauſſam et originem Marchio Inoioſo et Carolus de Columna, ambo oratores Hiſpani regis, dederunt, Hi enim Bukinghamium ſiue ex odio, ſiue aliam ob rationem detulerunt, ac ſi pernicioſa contra Regem ſuum conſilia moliretur et hunc ſolio ac regno, interuentu et autoritate ordinum, abdicatum ad vitam priuatam, ruri et in villa degendam, cogere, et Carolum filium in throno collocare et inaugurare vellet præſumeretque. Quid factum? pater, filius, et gratioſus, omnes tres viſi et auditi ſunt ſub dio et in publico collacrymari, Deos deasque obteſtari, inter ſeſe multum diſputare. Ille exprobrare ingratitudinem, obſequiorum et fidei violationem, beneficiorum obliuionem. Hi ſe excuſare, innocentiam laudare, delatores incuſare, pœnam et animaduerſionem contra calumniatores depoſcere. Finito colloquio et iurgio, diſceſſerunt, udis ex abundanti lacrymarum profuſione oculis. Princeps et Bukinghamius ira et odio in oratores concitati et inflammati, meditantur nunc et deliberant ſociatis conſiliis, quomodo iniuriam et criminationes, in ſe confictas, vlciſcantur, innocentiamque ſuam magis ac magis

gis regi comprobent, et infuſam huius animo ſuſpicionem eximant elidantque. Rex vero venatum iuit, multa ſecum turbata mente volutans, et gratioſi ſui inſolentiam et audaciam deteſtans. Hoc ſane exemplo diſcimus, principes, qui amicitias caſu, vt Barclaius ait, auſpicantur, et mutabili amandi dulcedine in diuerſa feruntur, tandem ad ſuos errores horrere, et quam condiderint potentiam, vltro metuere et exſecrari. Si ſenex ſalua exiſtimatione ſua poſſet aut auderet, iam nunc, dum graui tædio ebrius eſt, deponeret illam, quam ſibi ipſe impoſuit amicitiam, et nouo aſcito amore animum ex veteris conſuetudinis nauſea faſtidientem reficeret. Nimirum iuſto Dei iudicio fit, vt experiatur admonitorem ad contraria conſilia eum, quo hactenus tanquam inſtrumento vſus erat ad ſua excuſanda et pallianda.

Haud indiligenter impediuimus, quod literæ, quibus Jacobus Polono poteſtatem facit conſcribendi in regno ſuo militis, non fuerint in Poloniam miſſæ et delatæ: ipſe Jacobus rex aſſenſerat, vel potius conniuendo indulſerat, vt impediremus: attamen nunc permotus importunis cuiusdam comitis ſcoti precibus, qui Roberti Stuarti cognatus eſt, ſententiam iterum mutauit, et literas ſuas cupit transmiſſas. Robertus Anſtruterus et Jacobus Spenſius ea de re apud principem Carolum conqueſti ſunt; hic in ſe ſuſcepit, ſe impediturum, ne fiat. Ego quoque denuo interueni, et argumentis ſolidioribus demonſtraui, ingens et irreparabile præiudicium rebus et conſiliis Anglorum hoc præſertim tempore, quo Dani, Sueci, et aliorum proteſtantium ſocietate et opera opus habent, acceſſurum; adhæc Anſtruteri legationem in Germaniam ſine fructu futuram, et non modo Suecum, ſed et principes imperii, apud quos ille auctoritate polleat, quibusque ſanguine iunctus ſit, tam præpoſtera et præcipiti conceſſione offenſum iri, ac idcirco amicitiam Angli, ſi eum viderint ita fluctuare, et ſuſpectam Poloni temporaneamque amicitiam ſince-

re

ræ Sueci neceſſitudini præferræ, adſpernaturos. Comes Pembrokius, Eduardus Conwæus, et alii miniſtri regii ſpem dederunt, ſe omnem lapidem moturos, vt rex ab hoc propoſito auocetur. Quod ſi penitus et omnino impedire non poſſumus, quin Jacobus gratificetur Polono, dabimus operam, vt ſaltem ea cum conditione poteſtaſtem ei concenturiandi tyronis faciat, vt ſtipuletur, ſe milites in Britannia conſcriptos contra Suecum non ducturos. Libenter et alacriter impendo operam magnanimo illi et auguſto regi Guſtauo, quem perſuaſus ſum, futurum aliquando Germanicæ libertatis et melioris cauſſæ ac religionis vindicem ac reſtauratorem. Atque hæc hactenus. Vale, vir Ampliſſime, quam bene et feliciſſime. Dabam Londini IV. Non. Mart. cIↃIↃcxxiv. (a)

(a) *C. Miegii & Nobelii collectionem n. XIV. p.* 291-92.

Epiſtola VIII.

Diſcedit tandem hinc ſeraphicus noſter monachus, Vir ampliſſime; is ad vos iter inſtituit, propterea a me petiit, vt ſibi literis commendatitiis ad Sereniſſimum noſtrum præſto eſſem. Genus hoc officii homini, familiariter me compellanti, denegare non potui, propter plurimas rationes: inter quas illa præcipua eſt, quod velim eum in bona illa, quam de nobis noſtrisque conſiliis concepit opione, confirmare et autor ei eſſe, vt noſtram humanitatem, et promtum inclinatumque ad pacem animum, vbique, et maxime inter ſuos, qui nos ab omni quiete alienos eſſe vociferantur, deprædicet et dilaudet. Quapropter et vos ipſum humaniter excipietis: quis ſcit, quâ olim in re nobis poſſit hominis prodeſſe opera. Si multum vtilis eſſe nequit; Saltem nocere et obeſſe poteſt. Nullus eſt vermis, animalculumque tam vile et abiectum, quod non poſſit homini nocere. Non igitur male interpretabimini, ſi humanitati et comitati nimium me tribuiſſe, nimisque facilem fuiſſe animadvertitis. Malui peccare in hoc genere com-

committendo, quam omittendo. Sed quid quæſo apud vos facturus dicturusque eſt? procul dubio exploratorem et conſiliorum veſtrorum obſeruatorem, ſicut eum archiepiſcopus Cantuarienſis hic fuiſſe ait, aget. Literas a rege Jacobo nullas defert. Reſponſi loco rex ipſe ore ſuo declarauit, et Nuncio pontificio, a quo monachus venerat miſſus, ſuo nomine ſignificare iuſſit, ſe numquam non propenſum et paratum fore ad tranſigendum amice, modo honeſta et vtrinque æqua genero ſuo imperentur et præſcribantur. Ante omnia autem ignominioſum iſtud et inter principes Allemannos inauditum genus cautionis, quo nepotes ſui in pignus demandentur, eſſe ex animo deponendum, et illius nullam vnquam mentionem faciendum. Turpe et impium vel de eo cogitare: ſed nolle exiſtimationem ſuam ſuorumque proſtituere, ne poſſe conſentire, vt tenellorum liberorum animæ exponantur periculo apoſtaſiæ.

Ordines regni, præſertim inferiorum ſubſelliorum, nihil niſi bella et enſes crepant: in comitiis inter deliberandum et in congreſſibus Hiſpanum debellant. Magno impetu et pruritu feruntur ad claſſica. Rem ſcilicet ſe factam habituros arbitrantur, ſi arma induantur. Nam breui et vna claſſe vel expeditione in Hiſpaniam ſe potentiſſimum illum monarcham in ordinem redacturos credunt. Bellum igitur volunt, et ſibi ac reipublicæ vtiliſſimum eſſe ſtatuunt: attamen apparatus ad id feliciter et cum certitudine ſucceſſus gerendum neceſſarios non faciunt, nec in mundo habent. Nè euager, ſiſto gradum et finio. Vale quam optime, Vir ampliſſime, et amicorum alpha. Dabam Londini Non. Martii cIↃ IↃ c xxiv.

Epiſtola IX.

Res in comitiis eo iam deducta eſt, Ampliſſime Vir, vt ordines vnanimi conſenſu conſtituerint et decreverint, regem rogare et obſecrare, vt non ſolum renunciet,

ciet, & repudium mittat omnibus colloquiis, quæ cum Hiſpano, ſiue de matrimonio filii ſui, ſiue de reſtitutione generi, per tot annos cum magno reipublicæ detrimento, nec ſine imminutione honoris & exiſtimationis ſuæ agitauit; ſed etiam bellum pro vindicanda iniuria & recuperando Palatinatu denunciet & declaret. Princeps & Bukinghamius haud indiligenter ordinum cauſſam agunt. Nullam enim ſeni ſollicito quietem permittunt quin eum ſemper orent & inſtigent, vt ordinum conſilio, deſiderio, vt petitioni quamprimum ſatisfaciat. Verum rex, quam partem conſilii eligat, ambigens, hac ordinum declaratione non contentus, vult & præcipit, vt in ſpecie dicant & declarent, quid tam pro ſuſtinendo bello, quam pro defendendis regni finibus annuatim contribuere, & appendere velint valeantque. Belli enim neruum & fundamentum eſſe pecuniæ certæ conſtitutum, & apparatus perpetuos & iuges requiri ad id ex dignitate gerendum. Ordines offerunt vitam, fortunas, bona & omnia, quæ habent: at rex in ſpecie aliquid certi & conſtituti, vt dixi, vrget & flagitat. Non me hercules imprudenter; quamuis eo facto timiditatem & fluctuationem animi oſtendere plebs dicant & interpretentur. Aiunt, eum Iſraëlitis eductis per Moſen & Aaronem ex Ægypto e domo ſeruitutis eſſe conſimilem. Vt enim iſti in libertatem vindicati nihilominus deſiderio ſemper tenebantur prioris fortunæ, nec ollarum Ægyptiacarum obliuiſci poterant: ita regem Jacobum, licet e tenebris Ibericarum fraudum a filio & Bukinghamio, quos Moſi & Aaroni comparant, in lucem & veritatem eductum, ſibi tamen temperare non poſſe, quin ſubinde ad Erebi Hiſpanici atra limina conuertat oculos.

Quæ pro informatione quorundam amicorum, quibus in comitiis ius ſuffragii ferendi eſt & autoritas non contemnenda, contexui, illa hic habes. Opuſculum eſt tumultuarium, & vnius tantum noctis. Nam nihil præterea temporis concedebatur, imo ne horula quidem

diei. Paucis autem & ſuccincte comprehendere volui, quæ proprie ad Mercurium, vt aiunt, facerent. Cum quanto vero applauſu & adprobatione exceptum fuerit, non facile dixerim. Cuncta exemplaria, quæ magno numero impreſſa erant, intra biduum diuendita fuerunt. Nemo inter ordines erat, qui eo carere vellet: ita omnes legere & habere volebant, quia ſuam eo ſententiam confirmari & ſtabiliri ſibi gratulabantur. Scenæ & tempori ſeruiri magnum ad impellendos in motu conſtitutos animos. Aliud in præſentiarum non poſſum ſcribere: Deum igitur rogo, vt te, Vir ampliſſime, ſoſpitem ſeruet & omnibus bonis concumulet. Dabam Londini Pridie Idus Mariii clɔ Iɔ c xxiv.

Epiſtola X.

Binas tuas ampliſſimas, IV. & prid. Non. Martii exaratas, hodie, Vir ampliſſime, redditas habui cum adiunctis ſchedis, in quibus tam legatorum principis Daciæ poſtulata, quam quæ in Germania noua coquantur conſilia, deſcripta erant. Ingentes tibi gratias pro tam exquiſita diligentia & fida informatione ago. Vereor autem, vt aliis tuis grauioribus occupationibus iniuriam facias, & tempus præripias. Quantum enim mihi tribuis, tantum aliis decedere neceſſe eſt. Nolim vero ignores operam tuam bene collocari, & fructum ſuum habere. Cum enim interſit Sereniſſimi noſtri regis, vt ego, qui ipſius negotia in hoc regno procuro, de cunctis ad rempublicam & ad eius emolumentum vel damnum ſpectantibus informer, hoc præſertim tempore, quo cauſſa noſtra in comitiis diſceptatur; ita non omitto iis vti, prout par eſt, & occaſio exigit. Non quidem promiſcue ea in vulgus ſpargo, imprudenti & tralatitia communicatione: ſed ſoleo excerpere, accommodare, concinnare, quæ communicata compendium & vtilitatem cauſſæ meliori afferunt. Veritatem autem nequaquam cælo, obſcuro vel corrumpo, falſa & conficta non aſſuo,

nec

nec credi cupio. Quæ tacenda sunt, taceo & prætereo; quæ dicenda, dico & inculco.

Quod legationem Dacicam attinet, non puto, res Gabrielis principis ad tam angustos cancellos, sicuti ipsius legatus, procul dubio eo fine, vt tanto citius vos ad suppetias ferendas, & ad pecuniam representandam commoueat, depingit, deductas esse. Haud uanis indiciis & autoribus compertum habeo, illum potenti & numeroso milite, & rebus ad bellum inferendum, & in ipsam Austriam transferendum necessariis, satis instructum, & iam in procinctu esse, ut necesse ei sit in cœpta expeditione progredi. Turca etiam impellit & stimulat, & suis auxiliis subfulcit, vt perire non possit: quamquam Cæsareani eum desertum, & omni subsidio orbatum, in imperatoris Turcici odio & indignatione esse, dicant & comminiscantur. Non propterea tamen nos negligentes & securi esse debemus, sed potius omnem operam adhibere, vt bellum circumferenti & sustinenti præsto simus, eumque promta ope subleuemus. Quantum a me fieri in ipsius gratiam poterit, quantumque valuero in præparando regis Jacobi animo, vt amicitiam & fœdus cum eo inire satagat, lubens meritoque faciam.

Cum huc vsque scripsissem, accipio alias tuas binas, quarum vetustiores postridie Kalend, nouissimæ Nonis Martii scriptæ erant. Iterum dico, nimium diligens es in scribendo, & timeo, vt cum molestia tua facias, inter tot occupationes, quibus te mirum in modum distrahi & obrui scio. Vellem tibi paullum temperares, & me per alios, si otium non abunde suppetit, informari de rebus cognitione dignis curares. Edicti, in Jesuitas promulgati, exemplum, sicut petiisti, hic habes. Reliqua etiam, quæ de consiliis ordinum, deque progressu comitiorum nosse cupis, ex iis, quæ in epitomen a me redacta & lingua tam Gallica, quam Anglica conscripta ad Serenissimum nostrum misi, cognosces. Ordines vtriusque cu-

riæ, vulgo ſuperioris & inferioris domus, aſſeſſores vocantur, ducem Bukinghamiæ, miſſa ſolemni & magnifica legatione, contra oratores Hiſpanicos apud regem, coram quo delatus erat, quod contumelioſe & irreuerenter de Rege Hiſpaniæ locutus eſſet, tutati ſunt, tum atteſtando, eum nihil temere proterue & ignominioſe in comitiis dixiſſe in Hiſpanum, ſicut calumniari auſi fuerint oratores; tum declarando, eum ſingulare & loculentum fidei, moderationis & circumſpectionis teſtimonium in eo dediſſe, quod de rei veritate, deque Hiſpanorum artibus, quibus hactenus in cauſſa matrimonii & reſtitutionis Palatinatus vſi ſint, plane ordines informarit & edocuerit. Rex cuncta approbauit, & grata habuit eleganti, & diſerta pro more ſuo oratione, cuius ipſe curioſus auditor exſtiti. Gratioſi ſui merita decenter extulit & dilaudauit: adhæc ordinibus de tali concordia & conſenſu, inter ipſos et Bukinghamium congratulatus eſt. O quam bene imprudentiſſimus ſenex nouit caudam iactare papello, & præferuidæ in bellum prurienti plebi occurrere! quam pulcre animos ordinum captare, ineſcare & cauponari callet! quam ſolerter & dextre diſſimulare didicit. Prælibatoria ſcilicet & præguſtaforia ex dulci liquore propinat, mox infuſurus poculum auſterum e vino vappa. Nam intra biduum ſententiam ſuam ad ordinum petita dicere debet, ubi procul dubio ea poſtulata, quæ rei difficultatem ob oculos ponent, & quid in conſideratione habendum, quantumque pecuniæ contribuendum ſit, oſtendent, faciet & proponet. Medici, antequam poculum abſterſorium amarulentum miſcent, prius dulci antecurſoria, vt ita dicam, potione ſtomachum ægri præparant, & deliniunt: iunioribus cum abſinthium bidendum datur, labra poculorum melle inficiuntur. Scio equidem regem faſtidire & nauſeare ad potentiam, quam condidit, & tædio longæ conſuetudinis & amoris quærere nouos errores: ſed congrua id prudentia diſſimulat, ſimulando, ſe nihil

hil a veteri in gratioſum beneuolentia deflexiſſe. Fieri ſane nequit, quin eum angat & mordeat, quod videat ordinibus gratum & deamatum eum, quem hactenus exoſum & inuiſum eis fuiſſe gauiſus eſt, & vtile ſibi duxit.

Cum legatis Batauis nihil actum adhuc eſt, nec aliquid vtiliter & cum fundamento agi poteſt, niſi prius rex mentem ſuam aperiat & decernat, an conſilio ordinum auſcultato, cum Hiſpano nihil amplius commercii habere velit, ſed arma in eum ſtringere. Sæpe cum bonis illis viris conuerſor, & fidos de republica ſermones cædo. Tui crebram & honorificam, aliter non poſſunt, mentionem faciunt: te quoque plurima ſalute impertiunt. Henricus Riſchius in Galliam ad explorandum regis animum, an ad ſororis ſuæ nuptias cum principe Carolo contrahendas propenſus ſit miſſus, ſummo à purpuratis honore & beneuolentia cumulatur. Haud vanam inde ſpem felicis ſucceſſus concipimus: alia etiam argumenta & indicia, quæ potentiora & probabiliora ſunt, idem confirmat.

Inſinuaui tum regi, tum ordinibus, variis non deprætiandis rationibus deducendo et probando, ipſos rem ſe dignam, reipublicæ apprime vtilem, et ad recuperandum Palatinatum neceſſariam facturos, ſi ſub ductu et imperio Friderici regis viginti militum millia, qui recta in Germania contenderent, et ibi belligerarent, alere vellent. Iſta expeditione etiam Batauis ſatis conſuli, dum negotium faceſſitur iis, qui alias metu ſoluti contra ipſos auxilia ſint miſſuri. Cæſarem enim et Liguiſtas occupatos et in proprio nido turbatos, non ſatis animi viriumque habituros, vt egreſſi finibus ſuis aliena invadant et diripiant. Præterea expeditionem talem cum ingenti Anglicæ nationis honore et gloria futuram, iisque acceptum referendum, quidquid illa perficitur. Poſſe duos tresue autoritate et experientia conſpicuos adiungere duces, qui et regi Friderico a conſiliis ſint, et curam habeant, vt cuncta recte adminiſtrentur, et

nummi prouide expendantur, ſiquidem putent honoris ſui intereſſe. Opus autem eſſe, vt expeditio iſta nomine et ductu Friderici regis fiat, eique milites ſacramento addicti ſint, penesque eum omne imperium et poteſtas belli gerendi, et quo conſultum ipſe duxerit, transferendi. Si enim Anglus ſuis auſpiciis rem hanc aggrediatur, verendum eſſe, ne principes proteſtantes ſe cum illo coniungere tergiuerſentur pro prætextu et cauſſa allegaturi, ſibi integrum per conſtitutiones imperiales non eſſe, extero bellanti in imperio ſeſe aſſociare. Verum ſi auſpiciis et nomine Friderici, electoris principis Germani bellum moueatur, ita tamen, vt rex Angliæ et ordines regni repreſentent ſtipendia et ſumtus alendo militi, atque eo fine per mercatores vel per anticipationem caueant et rem certam reddant: tum plurimos principum proteſtantium acceſſuros, alios ſpe erectos communi cauſſæ non defuturos, alios quorum æque referat, libenter de ſuo aliquid collaturos, alios clam, alios palam opitulaturos odio in Auſtriacos, quorum potentiam cupiant circumciſam et in ordinem redactam; alios, qui nunc hiſcere non audeant ob imminentem metum, recepturos animum, et extrema coniunctis viribus conaturos, pro excutiendo iugo, et aſſerenda priſtina libertate. Dacum quoque in amicitia confirmatum iri: ceteros amicos et ſocios, alios propter proprium ipſorum commodum, alios alia ex cauſſa adſtipulaturos et patrocinaturos: adhæc ſuſpicionem et diffidentiam, quam plerique de Anglorum præpoſteris conſiliis, procraſtinationibus, et effugiis conceperint, exemtum iri animis hominum, quibus ipſa euidentia rei commonſtratura ſit, rem ſerio, et conſtanter, et cum certitudine boni ſucceſſus agi. Imperatorem quoque et Bauarum, ſi hanc pertinacem conſenſionem animorum inter Anglos, Fridericum et ſocios viderint, ad moderatiora conſilia et ad conditiones æquiores permotum iri. Denique Fridericum in Germania, et illis in locis, vbi bellum geren-

rendum ſit, militem momento temporis et parabili ſtipendio conſcribere, et ſupplementa in locum decedentium tyronum facere poſſe; inprimis equitem, quo inſtructos maxime eſſe oporteat eos, qui inuadere hoſtes et amiſſa recuperare velint, eſſe in promtu; tum etiam tribunos et duces, fide et experientia perſpectos, adeſſe et iuſſa præſtolari. Quæ omnia Anglis difficiliora ſint: non tamen impediri, quin, ſi velint, et ad rei ſummam profuturum eſſe cenſeant, mari contra Hiſpanos expeditionem aggredi queant. His et ſimilibus argumentis diſputaui, eam maxime ob cauſam, quod animaduerterim, igneum illum feruorem recuperandi Palatinatus, quo cuncti ſe flagrare et inflammatos eſſe credi volebant, nonnihil imminutum, et cum tempore magis ac magis exoliturum eſſe, re ab ordinibus, poſtquam altius cogitarint, difficiliori, quam ab initio arbitrati ſunt, æſtimata. De inuadenda magno cum exercitu Flandria deſperant: adhæc expendere incipiunt, quantum ad defendendam Hyberniam, quantum ad portus communiendos, quantum ad claſſem parandam et inſtruendam contribuere opus habeant. Bene ſcio, quod mihi occentent adagium illud hiſpanicum: Facilius eſſe concionari, quam operari: non tamen ego propterea ſinam partem aliquam mei officii claudicare.

Cum iam calamum inhibere et hos obſignare vellem, ecce iterum binas nouas a te redditas habui: erant exaratæ Idibus et III Idus Martii. Tam felix fui, vt vno die ſex tuas diuerſas literas acceperim, et reſignarim. Stupeo ad illam tam exquiſitam diligentiam, et miror, vnde tibi tantum otii, tantumque materiæ ſuppetat, vt tam multa, tamque diuerſa, et cognitione digna ſcribere poſſis, et quidem tua manu. Vt ſunt cuncta, quæ a te proficiſcuntur, lectiſſima et merito ſuo gratiſſima: ita me tibi propter eorum communicationem æternum deuinctum eſſe fateor. Vereor tamen, vt hoc iterum dicam, ne cum moleſtia et erumna tua fiat, quod tam cu-

rioſe et exacte cuncta ad me perſcribas. Vale iam, Vir ampliſſime, et me tuarum virtutum cultorem eſſe ſcito. Dabam Londoni XIII. Kalend. April. cIↃ IↃ c xxiv.

Epiſtola XI.

Quomodo rex Jacobus, Vir Ampliſſime, ſententiam & mentem ſuam ad ordinum ſuorum petita & conſultationes de abrumpendis cum Hiſpano colloquiis, & de ratione belli ſuſcipiendi declararit & manifeſtarit, illud ex agographo, quod his adiunxi, intelliges. Quid autem ego de eo dicere & iudicare debeam, ignoro & confuſus ſum. Si verba regis ſuſpenſa & in ambiguum incertumque implicato libro, ſi intimos meticuloſioris animi receſſus ſcrutor, ſi ingenium, naturam, & adſuetudinem ſenis prudentiſſimi conſidero, ſi facta et actiones contrarias replico & perpendo, haud ſcio, an mentem regis tam claram & apertam eſſe, idque ipſum dicere, quod ordines dixiſſe ſibi perſuadent, affirmare ſuſtineam. Princeps & Bukinghamius in iſta declaratione tantum ſibi placent, vt regem per omnia ordinibus gratificatum eſſe, eorum conſilia comprobaſſe amicitiæ hiſpanicæ nuncium miſiſſe, & totum ad bellum propenſum eſſe arbitrentur. Propterea etiam nobilem quendam iuuenem, qui regi & reginæ Bohemiæ euangelia iſta afferat, ad vos mittent. Bone Deus quantum gaudii, quantum lætitiæ apud plebem belli expertem? Exultant & tripudiant non ſecus, ac ſi victoria potiti, Hiſpanum iam captiuum catenis ad triumphum ducerent. Vereor, vt iſta imprudens, & immatura, ac oſtentatrix ſui lætitia, ſignum & omen ſit ſæuioris & triſtioris ſucceſſus. Et ſane quis ſibi ſecundi & ſolidi quid promittat, cum bellum prius declarari & denunciari, quam apparatus fieri videat. Si ſapienter & cum fundamento rem gerere, & reſtitutionem Palatinatus promotam reuera cuperent, deberent nobiſcum, quibus fortuna, omnibus bonis ereptis, vſum reliquit bene ſuadendi,

dendi, consilia sociare: deberent occasiones & adminicula, quibus ad scopum illum facile & prompte peruenire queant, amplecti: deberent cum Batauis ceterisque sociis eiusdem caussæ & religionis fœdera percutere, principes Germaniæ ad arma exhortari & animare, & similia bello gerendo necessaria prospicere.

Oratores Hispanici adhuc hic sunt: rarius quidem regem conueniunt, quia Bukinghamius aditus omnes obsidet: attamen tanquam Lyncei corycæi in cuncta penetrant & intima quæque perscrutantur. Nec Jacobus quoque suos ex Hispania & Flandria reuocauit. Heri in comitiis concluſum erat, vt leges ab antiquo rogatæ contra Pontificios, quos vulgo Recusantes, quia recusent sacramentum præstare, quo coguntur abiurare papæ superioritatem, & agnoscere regem supremum in omnibus causis tam ecclesiasticis, quam politicis rectorem, executioni mandentur. Rex de eo certior factus statim ad se filium, & Bukinghamium accersi iubet: ex illis scisciatur, an & ipsi interuenissent isti deliberationi & adstipulati essent. Princeps se assensisse, nec aliter potuisse pro vtilitate regis & regni, ingenue confessus est. Tum rex ad Bukinghamium conuersus, & tu quoque Georgi? inquit. Omnino subiicit Bukinghamius, imo si calculum meum non addidissem, adderem adhuc, quia noui, & conscientia teste persuasus sum, e re id regni & tuæ Maiestatis esse: si aliter facerem, perfidiæ damnandus essem. Rex indignabundus, in diras & execrationes pro more suo prorumpit, & præceps ruit. At illi egredi, &, rege solo relicto, tempestatem desæuire pati. Regis igitur ira, sicut impetuosa & prona est, ita subito detumuit. Vocantur igitur, & regis animum mirum in modum placatum, tranquillum & propensum experiuntur. Ita nimirum solet cum purpuratis suis rex argutissimus, vt veluti per lusum eorum mentes & consilia exploret, intelligatque, quomo-

do ipſis cum reliquo populo conueniat. Atque hæc hactenus. Vale, Vir ampliſſime, & me te reuereri inque oculis ferre ſcito. Dabam Londini IV. Kal. April. clɔ lɔcxxiv.

Epiſtola XII.

Hac occaſione, quæ ſe hoc ipſo temporis articulo offert, parum ad te ſcribere volui, & ſimul mittere legendum & cenſendum conſilium politicum, quod rogatu amicorum ſcripto comprehendi, in quo Anglis viam & modum commonſtraui, quem ſequi habeant neceſſe, ſi velint hoc rerum ſtatu aliquid ſolidi ad rei ſummam pro reſtitutione Palatinatus facere. De eo iudicium tuum, quod magni merito æſtimo, velim audire. Rem tanti ponderis & momenti eſſe animaduertes, vt eam negligere ratio mei muneris non permiſerit. Nolo autem, vt promiſcue ſciatur, me conſilii iſtius auctorem eſſe. Talia enim pluris fieri & curioſius legi atque examinari ſolent, quando autor eorum ignoratur: adde, quod ea, quæ a nobis proficiſcuntur, exiſtimentur ira & ſtudio compoſita, propterea quod noſtrum vel maxime interſit.

Ex iis, quæ Sereniſſimo perſcribo, plurima conſideratione haud indigna cognoſces. Vt iis vero nunc inſiſtam, non permittit otium. Vnum duntaxat vos velim, vt nimirum ea, quæ tam confidenter & ſub ſigillo religioſi ſilentii ad vos refero, cohibeatis intra fores veſtras, ne ante tempus eliminata, efferant aliquid incommodi & indignationis, ſcribenti apud eos, qui ſtomacharentur, ſi ſcirent nos ad cognitionem ſuorum arcanorum penetrare. Jacobus Careolius ſe ad iter in Galliam accingit; in mandatis habebit, vt communicato conſilio tam cum Henrico Ritſchio, quem rex baronem Kinſingthonium maioris honoris cauſſa nuper creauit, quam cum Eduardo Herberto, qui ordinarii legati vices ibi obtinet, viam & gradum ſternat ac decenter ambiendam & petendam in coniugem Caroli principis, Mariam Bor-

Borbonicam ſororem regis Galliarum. Stat ſiquidem Jacobo ſententia, vt velit filio ſuo copulatam connubio non inferioris conditionis feminam, quam erat Hiſpana. Cur autem pontificiam potius cum offenſione, quam comparis religionis cum bona populi ſui gratia malit, non caret, mea quidem opinione, myſterio. Ego ſæpius, cum iſta perpendo, mecum memoria recolo hiſtoriam Valentis imperatoris, qui ab initio orthodoxus erat, poſtea autem, ducta Arianæ ſectæ vxore, in ſervitutem erroris datus, & factus non captiuus ſolum, ſed etiam muliebrium fallaciis obſequens, vt ait Theodoritus IV. c. II. tandem ſe & totum imperium in exitium deduxit. Juſtiniani imperatoris cum Theodora, Eutychianæ ſectæ obnoxia femina, matrimonium quantas attulerit ærumnas, contentiones & incommoda in eccleſia & republica, hoc notum ex Euagrio. Legatus Gallicus Comes Tillierius in propatulo dicere, & Pontificiis in hoc regno fidem dare auſus eſt, regem ſuum in matrimonium cum ſorore ſua non aſſenſurum, niſi iisdem, aut melioribus conditionibus, quam quæ pactæ fuiſſent cum Hiſpanis pro religionis catholicæ romanæ emolumento & ſecuritate. Bukinghamius noſter plurimum autoritatis, fidei & exiſtimationis perdidit apud patres inferioris curiæ, eo, quod ante triduum palam curiatis comitiis retulerit, & pro vero credi voluerit, Hiſpanum maiorem claſſem, quam anno CIↃ IↃ LXXXIIX. inſtruxerit, apparare, eamque iam fere paratam tenere ad vela faciendum. Deinde innumeros in Flandria Pentones transuehendis militibus ad inuadendam Angliam conſtrui. Denique Regem Hiſpano ſignificari iuſſiſſe, ſe nihil amplius deinceps cum ipſo commercii habiturum, ſed alio modo ius ſuum perſecuturum, cum hactenus pactionibus & colloquiis nihil obtinere potuerit. Hæc omnia, quia manifeſte falſa ſunt, ordines interpretantur, ſtudio eſſe conficta & amplificata eum in finem, vt ipſi promtiores & liberaliores ad conferendam pecuniam

niam redderentur. Indecorum & contumelioſum eſſe aiunt, eiusmodi puerilibus commentis & ambaguis vti erga viros graues. Has eſſe aſtutias filo ſoloci conſutas & nimium apparentes. An ordines ignorent, quid rerum agatur, quidque ſui ſit officii? an circumueniendi ſint & mendaciis & conflictis fabulis vanisque terriculamentis impellendi ad neceſſitates regis & regni ſublevandas? nihil aliud quæri, quam ut emungantur nummis & deludantur: merito diffidere & dubitare, an ſincere & ſerio agantur & intendantur, quæ ſecum hactenus acta. Hæc & ſimilia vario ſermone inter ſe, cum ſoli ſunt, eliquant. Ex iis apparet, ni fallor, cum quanta diffidentia, ſimulatione, confuſione & præcipitantia deliberationes de rebus grauiſſimis in comitiis inſtituantur & explicentur. Et nos nihilominus omne noſtræ ſpei & reſtitutionis fundamentum in iis collocare & ponere iubemur. O quam lubrico ſolo inſiſtimus! ſicut veſica, cui anima inſpirata eſt, tumet & diſpenditur in orbem, ſolidi vero nihil habet: ita conſilia & auxilia iſta plus habent in externo ſchemate, quam in receſſu. Recte compares cum nuce iuglande, quæ integro & rotundo cortice conſpicua nucleum habet vel nullum, vel putridum, vel eroſum. Aut, ſi mauis, cum pomo Palæſtino, quod aſpectu pulcherrimum, ad eſum inutile, imo manibus tactum in fumum & vaporem diſſoluitur. Qui tibi & Sereniſſimo has reddet, domeſticus & familiaris amicus eſt; rogo, vt meo ſaltim nomine eum beneuolentia amplecti velis. Vale, Vir ampliſſime & candidiſſime inter meos neceſſarios. Dabam Londini III. Nonis Aprilis CIↃ IↃ C XX IV.

Epiſtola XLII.

Qui cum meis literis heri ad vos diſceſſerat, hodie ex itinere in vrbem ad nos reuerſus eſt, propter ventos contrarios & alia impedimenta. Cogor itaque meas recipere & per tabellarium ordinarium, quod facio, transmit-

mittere. Ne autem ſine mantiſſa & corollario ſe tibi ſiſtant, hoc quamuis parum gratum addere volui, quod velim te ſcire, ordinum Batauorum legatos hodie, ſicut inter miniſtros publicos moris eſt, apud me fuiſſe, & conqueſtos eſſe denuo de faſtidioſa illa ipſis & ipſorum reipublicæ damnoſiſſima procraſtinatione & cunctatione regis: ſe non ſine opprobrio & contumelia tam diu detineri: patribus id ignominioſum eſſe: Hiſpanis hoſtibus hoc adſpicientibus rem gratam fieri, quibus ludibrio iſta detentione exponantur: autoritatem inſuper & exiſtimationem ſenatus populique Batauici contemni & vilipendi. Se non veniſſe ſponte; nec aliquid mendicatum aut petitum; crebris & inſtantibus precibus patres requiſitos & compulſos, vt ad fœdera ineunda mitterent legatos, ſpem eis & fidem a principe Carolo & duce Bukinghamiæ datam, fore, vt negotium feliciter & promte, ſi modo adeſſent oratores, conficeretur: in eorum potiſſimum gratiam legationem iſtam adornatam. Nondum autem ullum cum legatis de rei ſumma congreſſum habitum, vllamue tractationem inchoatam: plures ſeptimanas inutili contentione conſumtas: an expectare debeant, donec regi commodum fuerit, isue & Ordines inter ſe conuenerint, resue ſuas concinnarint? an ſalutem & dignitatem reipublicæ proſtituere & priuatis priuatorum hominum commoditatibus ſubiicere? moram iſtam nimis eſſe exitioſam & vituperoſam. Gallum etiam, dum ad Anglum reſpiciat, & hunc aliquid in auxilium Batauorum facturum ſperet, reddi ambiguum & tepidum, ita, vt & ipſe videatur incipere cunctari, verendumque ſit, ne tardiores & minores ſuppetias, quam rei exiget neceſſitas, ferat patribus. Se iam de ſucceſſu deſperare, & de reditu cogitare: animaduertere, regem incertum conſilii ferri, & nondum in animum induxiſſe pacem & amicitiam cum Hiſpano exuere, inito & percuſſo cum ſenatu populoque Batavico fœdere. Hæc & parilia, quæ vera eſſe negare non poſſum,

poſſum, optimi iſti viri mecum conſermocinati ſunt, pro ea, quæ inter nos intercedit confidentia. Quid ego autem faciam? mouere parum, ſed nihil promouere valeo. Licet indigner & ſtomacho Ciceronis aſſumto cum purpuratis expoſtulem; cogor tamen tandem, poſtquam quiritando & cohortando impatientiam exhauſi, animum Catonis induere, & patienter, quæ corrigere non poſſum ferre, ſpe quidem certa fretus præſagio, ipſos non dimiſſum iri re omnino infecta. Magnus regni theſaurarius de fortunis & dignitate ſua periclitatur: mox illud Claudiani de Rufino in eo quoque verum experiemur: Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant: Hodie in comitiis de eo iudicium ſumtum: vtraque curia nigrum præfigere theta parata eſt. Et hæc hactenus. Vale, Vir ampliſſime, & me tui ſtudioſum & amantem reclamare perge. Dabam Londini Pridie Non. April. clɔ Iɔ cxxiv.

Epiſtolæ XIV.

Quæſo (a) ne poſthac apud me vtaris excuſatione, Vir ampliſſime, quod paruis a ſcribendo induciis ſumtis tardius ad meas reſcribas, ſicut in tuis literis, quas ad me VIII. Idus April. exaraſti, facis. Noui enim, quantis occupationibus obruaris & pæne eneceris. Quod autem vos ſummo deſiderio mearum teneri ſcribis, ſub ſpe, vos inde aliquid iucundi & grati percepturos, cum tamen hactenus nihil eiusmodi intellexeritis: ſed ſemper lectione mearum ſuſpenſi & magis anxii redditi ſitis, non opus eſt vlla perſuaſione. Et ego ſane indignor, quod nuntius triſtium & illætabilium rerum eſſe cogor. Verum ſi me libertate vti, & nihil veri apud vos celare vultis, ſcapha ſcapha, & ligo ligo vocandus erit. Spem & fiduciam certam, vbi nullam deprehendo, dare non poſſum. Non habeo in more, quod Placen-

(a) *Epiſtola differt nonnihil ab ea, quæ apud Miegium & Nebelium p.* 302, *habetur.*

centini & Laudenſes aulici, qui etiam amara & auſtera veritatis melle mendacii illinunt, & dulcore adulationis inficiunt, ne quid dicant & referant, quod dominis diſpliceat. Optimus etiam Princeps Carolus, cuius vel maxime refert, ne conſilia, quorum ipſe Patri & Ordinibus autor cum Bukinghamio exſtitit, maneant imperfecta, fiantque irrita, plurimum ſollicitus eſſe incipit; ſicut palus, cuius vndæ ventorum impulſu concitatæ ſunt, ita illius animus variis diffidentiæ curis, & dubiis huc illuc agitatis conſiliis æſtuat. In Dano avunculo maximum permouendi, & confirmandi Patris fundamentum ponit: ſibi promittit cum autoritatis ſuæ pondere libram fluctuationum inclinaturum, & perſuaſione Roberti Anſtruteri permotum, in Angliam, ad conſilio juvandum Regem, ſi operæ duxerit pretium, venturum. Alii videant, quid judicent & ſperent: ego cum Buchanano, qui ingenium & indolem illius, quem eruditiuerat, exploratum habebat, dico

Longo quod vſu in peius vsque induruit,
Multo facilius fregeris, quam flexeris.

Ordines regni in examinanda Præfecti ærario cauſa adhuc occupati ſunt; videntur aliquam inde voluptatem capere, ſicut vultur ille apud Virgilium, qui immanis Titii jecur roſtro rimatur adunco. Interea dum priuata iſta inter proceres fervent lites & jurgia, & Curia in iis auſcultandis & inquirendis cum delectatione vacat, altum de publicis totamque Europam tangentibus negotiis ſilentium. Sic in ſuperuacuis vita teritur, etiam inter Patres Reipublicæ. Cato ſemper contentiunculas aliquas aut diſſenſum inter ſervos callide ferebat, ſuſpectam habens nimiam eorum concordiam, metuensque, ſicut ſcribit Plutarchus: hic idem pæne, ſi fas eſt, dixeris.

Cum Ordinum Batavorum legatis in colloquium deſcendi cœptum: ante biduum mandata vltro citroque inſpecta fuerunt. Quæ Rex Jacobus ſuis conſiliariis

ad

ad id negotium destinatis dedit, ea existimantur non nihil tepida, hoc est, neque frigida, neque calida. Iis tamen potestas & autoritas datur non solum de confœderatione, sed quæ in defensione duntaxat consistat, cum oratoribus tractandi; verum etiam honestis cum conditionibus concludendi. Vno verbo ad certa & circumscripta pactis auxilia; non vero vlterius, neque ad fœdus, vt vocant formale, se obligari & adstringi pati vult. Quidquid vero in auxilia ista effusum & impensum fuerit, id omne ordines se suo tempore, & quando inducias vel pacem fecerint, reddituros stipulari cogentur. Sunt, qui loquantur de opidis pignori & hypothecæ loco constituendis, sicut tempore Elisabethæ factum commeminimus: sed non puto ordines, qui tanta nunc necessitate minime vrgentur, quemadmodum tum, tam sui oblitos fore, vt in rem tanti præiudicii consentiant. Cedo autem quid vtilitatis ad nos in causa restitutionis Palatinatus ex ista cum ordinibus pactione auxiliorum redundabit? Nihil, vel admodum parum: quod vel ex eo satis liquet, quod nec cum Sereniſſimo nostro, cuius tamen causa & bono illa fieri prætenditur, consilia communicentur, nec ego, qui eius nomine negotia publica in hac aula curo, & mandata eam in rem habeo, aduocer vt interſim.

Consiliorum & propositionum Comitis Mansfeldii summa in eo consistit, vt conetur omnibus rationibus & argumentis Anglis persuadere, necesse omnino esse, vt in Germaniam, tanquam ad caput & arcem belli, cum exercitu eatur, & expeditio fiat, si vel pro restitutione Palatinatus, vel pro conseruanda & tuenda peritura Principum libertate, aliquid re & nomine dignum effici & patrari debeat. Germaniam non nisi per Germaniam vinci aut defendi, & quæ ibi amissa, nisi per Germanos recuperari posse. Quapropter si Angli sibi sumtus aliquot submini strare, & vnam alteramue legionem Tyronum suo imperio & ducatui submittere velint,

se

e confestim iustum exercitum collecturum, & in Germaniam cum eo progressurum. Nam reliquam partem opiarum in finibus Lotharingicis & Helvetiis, vbi populationis & annonæ affatim sit, se conscripturum: inde lustrato exercitu se descensurum in agros hosticos, tam Austriacorum in Alsatia, quam Liguistarum in confinio Rheni: illinc in ipsam Bavariam Bohemiamque aditum fore facilem: se, qui cognitas habeat, & vires hostium, & situm locorum, persuasum penitus habere, expeditionem hanc non carituram felici successu. Si igitur Angli, quod sui officii, suarum partium sit, fecerint, tam Gallos & Venetos, de quorum procliui voluntate sibi satis & per argumenta certissima constet, suam quoque symbolam collaturos. Aliena autem interea occupanda, invadenda & detinenda esse, donec restituantur ablata. Adhæc nihil certius esse, quam Cæsarem, Bauarum, & socios, tali expeditione in ordinem redactum, & ad æquas pacis conditiones coactum iri. Bukinghamius, Conwæus, & Princeps hoc consilium palam approbant, & se illud promotum desiderare præ se ferunt: interim haud obscure innuunt, ipsis adminicula argentaria non esse in tam abundanti copia: erogandum enim plurimum in propria defensione, in præparandis & instruendis nauibus, in præsidiis per Hiberniam constituendis, in portubus muniendis, in auxilio Batauis ferendo, inque aliis rebus non minus necessariis ingentes impensas faciendas. Ipsos nihilominus de tota re vberius & profundius cogitaturos, & cum Rege deliberaturos, ejusque sententiam & mentem exploraturos. Ante omnia vero requiri, vt quid Gallus in hoc negotio facturus, qualemue se gesturus sit, sciatur. Fieri enim posse, vt Anglis bello implicatis, omnem postea molem illius gerendi sit relicturus, & ipse ab armis quieturus. Ad ista Mansfeldius subjiciebat: nec Gallum, nec Venetos, aliosue, quamuis caussæ foueant, quicquam moturos, & proprio marte gesturos, nisi prius

videant Anglos, quorum magis, quam ſui intereſſe autument, initium belli feciſſe, & reapſe manum operi admouiſſe. Expeditionis vero fundamento & exordio per Anglos facto, nequaquam eſſe dubitandum, quin Gallus & cæteri, quibus Auſtriacorum potentia ſuſpecta & odioſa ſit, eamque cupiant intra cancellos moderati imperii concluſam, ſe ſint coniuncturi. Nam ſe pro comperto hoc affirmare, vtpote cui promiſſio & ſpes eum ad finem facta ſit. Hæc vltro citroque diſputata & diducta fuerunt: non dubito, quin Mansfeldii ſententia, quia Regem in bellum directum, vt vulgo loquimur, non inuoluit, ſit præualitura. Nam bella illa, quæ ego vocare ſoleo metaphyſica, Regibus & Principibus hodie magis placent, quam vera & legitima. Hoc ſcilicet a Gallis didicerunt, qui, ſicut prouerbio quoque dicunt, vnguibus felis prunas calidas e carbonibus ardentibus extrahere, magnæ prudentiæ judicant. Lapide proiecta, ictum facere, & ſtatim manum retrahere & abſcondere, ne videaris, ſcitum eſſe: ne ſcilicet alteri iuſtam cauſſam dent repetendi & reuerberandi, hoc eſt de bello ſibi illato conquerendi. Sub prætextu auxilii ſuorum cauſſam cuilibet licet defendere & tueri. Verum bella iſta ad rei ſummam parum vel nihil potius conferunt, imo maioribus bellis & calamitatibus eos inuoluunt, quibus tali modo opitulatum itur. O Germania tuum fatum agnoſce: Exteri Reges, magiſtri & editores ludorum ſunt; ipſi in arenam non deſcendunt & pugnam, ſed gladiatorum, myrmillonum, retiariorum, laqueariorum, eſſedariorum, andabatarum, commiſſiones exhibent. Sed in orbitam. Princeps Mansfeldium ſingulari humanitate & comitate proſequitur, & in ædibus ſuis hoſpitium aſſignauit, non amplius incognitus hic eſt; ſed promiſcue a quouis aditur, ſalutatur, et, quod verum eſſe noui, adoratur. Propediem ad Regem, qui in villa Theobaldi deliciatur, deducetur. Proximis eadem de re plura. Jam vale, Vir Ampliſſime, & me tui ſtudioſum

ſum eſſe credere perge. Dabam Londini XIV. Kalend. Maji. clo Io c xxiv.

Epiſtola XV.

Comitis Mansfeldii propoſitiones & conſilia, Vir Ampliſſime, non modo prona aure auſcultata, ſed etiam ab ipſo Rege, ſicut antea a Principe Carole, & Duce Bukinghamiæ comprobata ſunt. Omnes jam in hoc regno maximi, medio Xumi & infimi acclamant & accinunt io triumphe! io triumphe! Hoc ſe anno, ſi Diis placet, confidunt non ſolum Palatinatum recuperaturos, ſed & rationem cæterarum injuriarum ab Hiſpanis repoſcituros. Quod autem Rex tam facilis in præbendo aſſenſu, quem tamen non purum, ſed pactionatum dedit, fuerit, hoc non caret myſterio & argumento. Nimirum tolerabili & modico ſumtu, ita callidus in petendo Mansfeldius fuit, aliquid magni ſperat iſta expeditione efficiendum, ne tamen bellum contra Hiſpanum, vel vllum alium declaraſſe, dici poſſit. Eadem opera ſatisfieri etiam populo arma cupienti, cui os obturare queat, diceodo, ſe propter reſtitutionem Palatinatus expeditionem iſtam ſuſcipi juſſiſſe, & Mansfeldium illius ducem conſtituiſſe: & ſimilia plebis auribus grata. Ad hæc ſibi perſuadet, alios etiam, de quibus Mansfeldius ſpem fecerit, propter proprium ipſorum & emolumentum aliquid contributuros. Denique ſi Mansfeldius ſuis velut auſpiciis bellum gerat, acceptis certis in menſem fomentis pecuniariis, tam ab Anglo, quam a Gallo, aliisque; tum Hiſpanum de pace ſecum rupta iuſte conqueri non poſſe. Mansfeldio enim non demandatur expeditio contra Hiſpanum directe, & ſi is hunc offendat, Anglo integrum fore a ſe culpam ſegregare, & in ducem, quod is vel limites mandati transgreſſus ſit, vel a ſe non omnino dependeat, transferre. Quid dicemus? Sane Mansfeldius eadem prorſus ratione, ſicut ſuperioribus annis, circumferet potius, quam inferet bellum; nempe ſuo ductu ſuisque auſpiciis cuncta ad-

miniſtrabit, nullius arbitrio & directioni obnoxius. Quod ſane reſtitutionem Palatinatus non promouebit, nec res lapſas Religionis & libertatis in priorem ſtatum reponet; ſed in majus exitium & diuturnius bellum adducet. Niſi enim ipſe Rex & cæteri, quorum conſenſu Mansfeldius arma capere debet, nomen dent expeditioni, palam profitentes ſuis auſpiciis & voluntate illam ſuſcipi & geri; Principes Germaniæ non tam facile in partes venient, imo quod vereor, alii ciuili excuſatione ſe tuebuntur, alii etiam aperte obnitentur. Mansfeldius timetur quidem ab hoſtibus, ſed non amatur a noſtris. Gallus vero, ſi quid in hanc expeditionem contribuet, proculdubio Mansfeldium in eam conditionem adiget, vt ſibi promittat, ſe non offenſurum Catholicos in imperio Principes, ſi quieuerint, inter quos Bavarum nominatim comprehendet. Sum enim perſuaſiſſimus, Gallum nunquam ſe quæſtioni & controverſiæ de translatione Palatinatus oppoſiturum, quin novam Bauari amicitiam veteri cum Palatinis Comitibus prælaturum. Ad id eum tam zelus religionis Romanæ, quam Bauaro in ſella ſeptemuirali conſtabilito, & ſummo loco in ſenatu & comitiis imperii ſententiam dicente, ingens incrementum capturam videt, tam aliæ conſiderationes impellunt, inter quas non infimam illam reor, quod Friderico & eius liberis, qui e ſanguine regio Anglico orti eo ſemper reſpiciunt, Electorali dignitate & Palatinatu excluſis, Angli autoritas & potentia in Germania imminuatur & euileſcat: Galli vero, Bauaro & ſociis rerum potientibus & florentibus creſcat & conſpicua reddatur.

Nihil autem eſt, quod me magis ad indignationem moueat, quodue crebrius noſtris purpuratis exprobrem, quam quod nihil de tota iſta cum Mansfeldio facta pactione cum Sereniſſimo noſtro Rege, mecumue, qui eius nomine hic ſum, communicent. Quidquid ego de illa cognitum habeo, id ex ore Mansfeldii, qui nihil me

me celare ſolet, haurio. Sed quid homines naſuti reſpondere ſoleant, te ſcire velim. Aiunt nimirum, Principem illum cum infelicem, infauſtoque ſidere natum eſſe, tum omnium animos tam procerum, quam plebis ab eo ita alienatos eſſe, vt parvam ipſius rationem habere dignentur. Adhæc tenacem nimis & parcum, vt ad magna negotia & ad bellum gerendum, non ſit tam aptus. Tribunos, centuriones, & promiſcuam turbam militum non tam promtis animis eum ſecuturos, eiusve imperio ſe ſubiecturos. Proinde conſultum minime eſſe, nec Anglos libenter conſenſuros, vt ei ſumma rei & belli adminiſtrandi ratio permittatur. Si Robertus Anſtrutherus ad vos venit, plura talia, quæ de induſtria ſilentio inuoluo, vobis referet, Ah quam aliter meritus eſt optimus iſte Princeps, quamque infelix eſt eius memoria apud eos, apud quos eſſe debebat feliciſſima, cum tantis ſibi eos obſtrinxerit beneficiis.

Ordines regni tria ſubſidia, ita vocant collationes ad neceſſitates regni & regis ſubleuandas, ſtipulati ſunt intra annum ſoluenda, ea cum pactione, vt prius palam declaretur, & in acta publica more majorum inſcribatur, Regem omnibus hactenus cum Hiſpano incaſſum agitatis colloquiis nuntium miſiſſe: ab eo ſatisfactionem deinceps ea via, quæ omnium optima judicata fuerit, repoſciturum. Subſidia illa, quæ ſummam duodecies centies millium thalerorum Germanicorum excedunt, ita diſtribuenda & expendenda ſunt. Rex habebit vnum: reliqua duo impendentur tum ad ſtipendia militi præſidiario in Hibernia ſoluenda, tum ad claſſem aliquot nauium inſtruendam: denique ad auxilia Batauis præſtanda. Hæc pecunia, ſi verum fateri velimus, parua & contemtibilis eſt, ſi reſpicias tantum tamque florens regnum: ea vix ſufficiet ad vnam aliquam iſtarum trium neceſſitatum pro dignitate ſubleuandam. Quid inde ad Palatinatum recuperandum? aut vbi nummi inuenientur ad alendum juſtum exercitum?

In Anglia certe minime, nec regnum profecto intra annum maiorem ſummam, præſertim ſi in plures annos continuandum eſſet, contribuere valet. Si auderem, applicarem huc illud, quod de Claudiani carminibus Lilius Gregorius Giraldus dixiſſe legitur: ea quidem pleno ſpiritu ordiri ingreſſum poëmatum, ſed ad extremum inſtar flaccidi ſinus deficere, qui vento dum turget, vberis & prægnantis molis ſpeciem præ ſe fert, ceſſante autem anima, conſidit in ſuas rugas, ventremque turgidum inani prorſus bulga commutat. Princeps Mauritius Naſſouius de Germanis Principibus dicere ſolet, eis plus ſatis pecuniæ & fructuum ſuppetere ad laute & ſplendide vivendum; nimis parum autem ad bellum gerendum: de Anglis ſane quam oppido vere dicere poſſumus, eis nunc ad oſtentationem ſatis nummorum adeſſe, ad vſum parum. O miſer ergo Palatinatus per quos tandem reſtitueris? non me hercules per eos, per quos te confidimus & ſperauimus reſtituendum, quosque tantæ molis erat ad id perſuadere. Fatum ſcilicet noſtrum fuit eos adire, tam, qui nobis opitulari non poſſent, quam per quos nobis pereundum foret. Ne his querelis & lamentationibus te pluribus onerem, ceſſo. Vale quam optime, Virorum optime. Dabam Londini VI. Kal. Maj. CIↃ IↃ CXXIV.

Epiſtola XVI.

Cum quanta ſignificatione honoris, beneuolentiæ & prolixitatis Comes Mansfeldius a Rege, a Principe, & proceribus fuerit exceptus, habitus, ac dimiſſus, Vir Ampliſſime, hoc e diuerſis meis, quas ad Sereniſſimum Regem Fridericum dedi, intelligere pluribus potuiſti: aliquid etiam in ſuperioribus ad te ſcripſi. Jam ſibi Rex Jacobus gratulatur, & ſe magna cura leuatum ſentiens, ſuo ſe officio defunctum, & populi etiam expectationi & deſiderio ſatisfeciſſe putat. At prudentiores, qui res accurata judicii & proſpicientiæ in longum

gum acta decempeda metiuntur, istam expeditionem Mansfeldicam, etiamsi progressum habeat, non multum ad rei summam facturam arbitrantur; nisi accedant fortiora & solidiora stabilimenta & fulcra. Haud enim ignorant, quam perniciosum sit in rebus arduis tepidum esse, & rem dimidiatim facere, hoc est, non satis audere, nec satis prouidere, vt loquitur Tacitus. Sed hæc est natura Principum meticulosorum & fluctuantium, vt rem, ad quam agendam compelluntur inviti, imperfecte faciant, ea tantum intentione & scopo, non vt aliquid cupiant effectum, sed vt prætextum habeant, speciosa excusatione tuendi, actiones suas apud populum, incurii successus. Ejusmodi mutilis inceptis, & ambiguis ac morosis consiliis plus obesse solent, quam si quiescerent, & armis abstinerent. Hactenus Rex Jacobus non admodum bene de Mansfeldio ejusque actionibus, & de ratione belli gerendi, qua vtebatur, sensit: nunc mutato temporis momento mente & opinione eum vnum dignum judicat, cui summa potestas, & arbitrium ducendæ & regendæ expeditionis committatur. In diplomate regio, quo constituitur dux & imperator istius belli, expressis verbis insertum legi, omnem illum apparatum armorum, totamque istam expeditionem, inprimis ad recuperationem Palatinatus esse directum, Mansfeldium præterea consilio Regis in grauioribus vsurum. Ad eas conditiones ipse se adstrinxit, quod etiam tabulis confirmauit & consignauit. Possum ego hoc ei testimonium perhibere, quod statim ab initio proposuerit & edixerit, se, si Regi & Anglis placeret, auspiciis Sereniſſimi Friderici rem omnem susceptum & gestum, ejusque nutum, jussa, & consilia in bello administrando secuturum, non alio, quam legati, vulgo Generalis locum tenens appellatur, officio sibi assumto. Verum purpurati, & inter eos nonnulli, qui vel maxime nostræ se causſæ studiosos esse credi vulgo volunt, dicebant & euincebant, Fri-

dericum esse Principem infelicem, ac propterea timendum, ne iterum omnia ipso auctore & auspice suscepta, infauste succedant; euentum comprobasse, quam infelicia sint ipsius consilia, actiones, jussa, & imperia. Mansfeldius se miratum fuisse dicebat, cum hæc audiret, sibique persuasisse, homines istos modestius & sobrius sensuros & locuturos. Ipse sane non apud me solum, sed & apud omnes alios honorifice semper, & cum debita reuerentia, de Rege nostro locutus est: mihi sancte per omnia sacra affirmauit & contestatus est, se cuncta in hac sua expeditione ad commodum illius, tanquam ad præcipuum scopum conducturum, & directurum, ac proinde etiam confidere & sperare, hunc suo se fauore prosecuturum, & accepta grataque habiturum, quæ ipse eius nomine aggrediatur. Sed quid officii nostri nunc esse putamus? ego censeo, nos consulte facturos, si bona verba apprecemur, & dissimulemus, quæ nos vel sollicitos reddunt, vel cruciant, quod in communionem consiliorum non fuerimus aduocati. Nostra contradictio, indignatio, obnisus, & curiosior sollicitudo emolumentum nullum, sed ingens potius & certum dispendium afferre potest. Contenti simus hoc Catone, & gratias Deo agamus, quod eo usque res deducta sit. Saltem inde amici & inimici, qui dicere solebant, Anglos & Regem Jacobum curam nostrarum rerum deposuisse, argumentum & testimonium accipient eos cordi habere Palatinatus recuperationem. Pro tua prudentia hæc considerabis, & Regi fido consilio aderis, vt eum se circa hoc negotium gerat, qualem expedit esse temporum, hominum, rerum præsens conditio exigit, & ipsiusmet interest. Patientia & dissimulatione cuncta, quæ grauia sunt, superantur, & levia fiunt.

Cum legatis ordinum nihil adhuc actum: occupationes, quas Comes Mansfeldius adventu suo Regi & Consiliarus attulit, impedimentum & remoram injeciſſe dicunt,

Digitized by Google

cunt, quo minus iſti negotio vacare potuerint. Sed hæc excuſatio non æſtimatur ſufficiens, nec ſatisfacit oratoribus, qui ſe poſtpoſitos, & alterum nouiſſime aduentantem ſibi diu præſtolationibus antelatum, non tam æquo animo ferunt. Ipſos tanti temporis ſpatio ne hilum promouiſſe & impetraſſe: illum intra paucos dies res ſuas ex voto, imo ſupra votum & ſpem confeciſſe, & a rege cuncta, quæ petere poterat, obtinuiſſe; cum tamen magis referat Reipublicæ, cauſſam ipſorum promotam & adjutam habere, quam noua illa & incerta Mansfeldii conſilia.

Robertus Anſtrutherus mihi dixit, ſe propediem iter ingreſſurum ad obeundam legationem ſuam ad Danum, & Principes Germaniæ: pari modo Iſacum Wakium ad Venetos, & Sabaudum, & ad Helvetios profecturum: vtrumque exſpectare tantum; donec fœdus cum Batavis percuſſum ſit, quod mox futurum credant. Quo facto, ſperare ſe eo facilius commoturos reliquos Principes ad idem, vel ſimile fœdus cum Anglo icendum. Vereor, vt rationes putent ſine hoſpite. Comes Briſtolius, legatus Britannicus in Hiſpania, domum a Rege reuocatus in ſingulos dies a ſuis expectatur. Jam Caleti, hoc eſt in portu Jecio, ſicut Romani vocabant, eſſe nuntiatur. Si ſapit, aduentum ſuum paulum differet, donec comitia ſoluantur. Niſi ſecuritatem in fauore Regis inveniat; potens aduerſarius, Bukinghamius, eum ſubvertet. Profeſſas enim inimicitias & odia, quæ tandem erumpent in neruum, ambo inter ſe exercent. Cum jam vellem hos conſignare, accipio binas a te, vnas per juniorem Bolſingherum, alteras per Henricum Hermannum: tempus nunc non permittit, vt reſpondeam. Pauſam igitur dabis. Interea Deum, viuificantem mortuos & vocantem quæ non ſunt, tanquam ſint, rogo, vt te cum coniuge, matrona ſanctiſſima; & liberis optimis incolumem ſaluumque ſeruet & tueatur. Dabam Londini III. Kal. Maii. cIↃIↃcxxIV.

Epiſtola XVII.

Quid rerum in his cismarinis oris hoc temporis articulo agatur, id Sereniſſimo noſtro pluribus perſcripſi: ea, Vir ampliſſime, inſpicere & legere voles. Ah quam lenta & intricata ſunt omnia! quam fluctuant, quamque inconſtantes ſunt homines iſti, a quouis ſe vento impelli & transuerſum rapi ſinunt; Vtinam ad imitationem Poëtæ plumbum plantis adderent, ne ſubverterentur a turbine. Vt araneæ in perplexo telæ textu hærentes aura huc illuc impelluntur; ita illi faciles omni impulſu moueri & flecti, quo trahit eos præceps & ad rumores ſumta, & tempori accomodata opinio, ducuntur. Et vero explicare ſe ſe non poſſunt ex illis confuſis conſiliis, nec volunt, vt ipſis via ſe ſe explicandi monſtretur, ſed tanquam muſcæ aranearum filis, ita illi diffidentiæ inuolucro, & timoris rete vndiquaque inuoluti ſunt & manent. Literas Hyacinthi, magni illius inter ſuos Patris Seraphici, vidi, legi, & apud me reconditas aſſeruo. Vereor, vt in multis nimium verus Augur deprehendatur, & nos cum damno noſtro experiamur non eſſe mentitum. Italica, quæ mihi legenda miſiſti, remitto cum condigna gratiarum actione. His vale, Vir ampliſſime, & me tuarum virtutum ſtudioſum eſſe crede. Datum Londini XI. Kalend. Mai. clɔlɔcxxiv.

Epiſtola XVIII.

Ordinum regni cætus ad vmbilicum perductus, Vir ampliſſime, intra biduum finietur: Veremur autem, vt lætis & feruidis principiis ſuccedat finis ſubtriſtior, qui primam hominum credulorum expectationem deludat. Quemadmodum enim conſultationes iſtæ, quæ hactenus totius Europæ oculos attinuerunt, feliciſſime cœperunt cum omnium applauſu & voto, cumque ingenti ſpe animis amicorum impreſſa: ita ad finem tendere videntur, cunctis anxio & dubio pectore peiora timentibus. Dici vix poteſt, quantum ipſi Patres comitia-

tiales diffidant voluntati Regis, quam pro more Principum obinitio vehementem, mox tepidam, tandem frigidam, hoc eſt, mutabilem, & ſæpe ſibi contrariam norunt. Metuunt nimirum, vt rex dimiſſo conceſſu ad ingenium redeat, & denuo ex ſua cuncta libidine adminiſtret, pecunia in certum vſum conceſſa & deſtinata ad priuatam vtilitatem abuſurus, inſuper habito Patrum decreto. Aiunt Regem nuperrime in familiari diſſertatione, quam cum Petro Molino ſummo illo Theologo habuit, de pia fraudis licentia, qua vti licitum eſſe Pontificii doceant ad plebem inſtruendam, & in veritatis viam ex erroribus deducendam, approbaſſe doctrinam illam, & locum in profanis & politicis negotiis habere aſſeueraſſe, dum minime male Regem vel Principem facere ſtatuerit, qui illa, ſed in rebus, vt dixi, Rempublicam concernentibus, erga ſuum populum, ſi hunc in bella & pericula prurientem & ruentem retinere, eiusue emolumentum promouere ſatagat, vtatur: licet eiusmodi pia fraude in diuinis & religioſis rebus uti impium dixerit. Quo hæc noſtri homines trahant, in proclivi eſt coniicere. Oratores Hiſpani ad reditum ſuum in Hiſpaniam iam dudum ſe compararunt, prout videri volunt: procul dubio exitum comitiorum prius expectare & ſpectare volent. Deinde quid de Rege ad ingenium, & ad ſemet, & ad priſtinam libertatem reuerſo ſibi promittere poſſint. Eum enim omnibus viribus & artibus iſti Gigantes adgredientur, ſpe non dubia confiſi, ſe hominem expugnaturos, & ad antiquum obſequium deducturos ac effecturos, vt prælata ſuſpecta & exitioſa cum Hiſpanis amicitia, vtilem & neceſſariam cum ſociis eiusdem cauſſæ & religionis coniunctionem adſpernetur & vilipendat, vel ſaltem differat, & procraſtinetur, interea ea tempora inciſura, quæ ipſum timore & metu perculſum deterreant a conſiliis fortioribus. Nonus orator ex Hiſpania in via eſt, vocant Mendozam Hurtado: eum venire oblatum & traditum in manus Re-

Regis Palatinatum, nec exacturum vllas conditiones, neque moras, quod alias Hiſpani ſolent, tracturum. Hoc vulgo quidem jactant, &, quod indigneris, ſunt quidam tam vecordes & bouini cerebri, vt id credant,

Diu eſt, quod nihil ex Gallia audimus, neque quomodo ibi res Mansfeldii ſuccedant: ſi ſuſpenſis & dubiis conſiliis Galli rem agere inſtituerint, & cum Anglis in eum ſenſum, quo hi cum Mansfeldio pacti ſunt, conuenire noluerint, næ omnia ea, quæ Mansfeldius ſpe concepit, tanquam flosculi, quibus ſuccus vitalis detrahitur, concident. Sed Galli ſapientiores facile commentum aliquod inuenerint, quo crudelitatem & ſimplicitatem Anglorum paſcant, deludant & promoueant, vt quorum ſpem dederint, ea exſequantur.

Milites ſuppetias ituri Batauis nondum concenturiantur, quamuis legionum agminum & cohortium ductores, hoc eſt, tribuni, uragi, centuriones, optiones, & id genus ducum ſint conſtituti, & denominati partim per ambitum, partim ex affectu & gratia. Habent hoc Angli nunc in more, vt omnia cum ſtrepitu & pompa agere, magna nomine ciere, munia pro inclinatione & ex vtilitate diſtribuere ſoleant. Comes Briſtolius poteſtatem adeptus eſt, manendi domi ſuæ & in villa, hoc eſt in honeſta & libera cuſtodia: ad affatum Regis, licet contentiſſime flagitarit, non eſt admiſſus, quod Bukinghamio æmulo ſuo acceptum ferre debet, quem Rex, quia cum filio & ordinibus coniunctum eſſe videt & dolet, offendere non audet, occaſione promendæ ſimultatis nondum circumſpecta, nec matura. Briſtolius interea ſperat tempus allaturum mutationem, ſeque ſatis tutum eſſe arbitratur conſcientia conſiliorum. Nihil enim absque mandato ſe feciſſe, dixiſſe, ſcripſiſſe: ſe paratum reddere rationem omnium ſuarum actionum: exhibiturum etiam ad ſingula, in quibus accuſatur, quod male egerit, Regis iuſſum & mandatum, ſe non examinaſſe & ſcrutatum eſſe curioſa & arroganti

præ-

præſumtione Domini ſui præcepta, penes quem ſit conſiderare et expendere, an praua, an æqua iubeat: ſibi obſequii gloriam propoſitam fuiſſe. Quæſtionem de eo inſtitui non poſſe, nec conſultum eſſe, coniiciunt plurimi: alias arcana aulæ in vulgus emanatura et addunt, quod ſicut reficæ, vbi ſenſere ſe apprehendi, effuſo atramento, quod illis pro ſanguine eſt, ſe abſcondant aqua infuſcata; ita callidi, cum in ipſorum prauas actiones inquiritur, ſpecioſas excuſationes afferant, & crimine, quod patrarunt, iuſſis Regum colorato, et iuſtitia immixtione potentiorum turbata, euadant impune. Atque hæc pauca pro tempore ſuffecerint. Tu, Vir ampliſſime vale quam optime, et me, quod facis, amare perge. Dabam Londini IV. Kal. Quintil. cIↃIↃcxxIv.

Epiſtola XIX.

Comitia noſtra, Vir ampliſſime, tandem ad finem ſunt perducta, et quidem cum ſumma populi ſatisfactione et adplauſu, Rege pleraque et maxime ea, quæ maioris momenti erant, et videbantur non facile concedenda, approbante, et rata habente; præterea ſancte promittente, ſe operam daturum, vt cuncta in opus deducantur eo modo, quem patres comitiales præſcripſerint. Vtinam autem compleri videamus, reapſe, et ſine dilatione illa omnia, de quibus ſpes et promiſſio facta fuit! Nam ſane verendum, ne jactantius et inflatius, et proinde ſimulatius condicta et promiſſa ſint. In eum ſenſum interpretantur nonnulli illud, quod Rex vehementiore et calidiore oratione zelum et ardorem ſuum, quo ſe inflammatum dicebat erga filium & nepotes, quorum reſtitutionem ſibi vnice curæ cordique fore proteſtatus eſt, inque eum finem ſe impenſurum nummos illos, quos tam liberaliter ordines conceſſerint. Milites pro Batauis nondum quidem concenturiantur: attamen res eo deducta eſt, vt intra vnum alterumue diem de mente Regis conſtiturum, et dilectus inſtituendus

dus ſit. Anguilla comprehenſa et ſubula caput affixa elabi amplius nequit. Ac propterea ordinum legati omnem lapidem moturi ſunt, et vltimum velut experimentum facturi, ſicut mihi dixerunt, ut Regem eo perducant, ne vllas morarum cauſſas impoſterum prætendere valeat, præſertim cum iam a pecunia ordinum beneuolentia contribuenda inſtructus ſit. Dilationem autem in iſto negotio a Rege commiſſam purpurati Laudenſes et Placentini ita excuſant, dum dicunt, quod oratores Hiſpanienſes Regi inſtillarint et perſuadere auſi ſint, Hiſpanos hoc anno in Belgio non egreſſuros in campum: ea perſuaſione Regem imbutum credere Batauos non indigere tam celeri auxilio, ſatis temporis fore, ſi duobus aut tribus abhinc menſibus ſuppetias ſuas ſubmittat. Comitis Mansfeldii non omnem curam abiecerunt miniſtri regii: quin ei iam per collybum haud contemnendam pecuniæ ſummam remittunt, et hoc ideo faciunt, vt Gallos in pudorem coniiciant, et ad paria facienda proliciant. Hoc modo res geruntur: ars deluditur arte. Plura in præſentiarum nec habeo, nec poſſum. Vale, Vir ampliſſime, et ſcito me te venerari. Dabam ſumma cum feſtinatione. Prid. Kalend. Junii. Anno cIↃIↃcxxiv. loco et ſtylo conſueto.

Epiſtola XX.

Omnes tuas literas, ampliſſime Vir, trinas ſimul bene accepi, unas nonis Maii, alteras XIV. Kalend. ultimas ipſis Kalend. Junii ſcriptas. Jam reſponſum ad eas dabo, ſed confuſum, preſſim tamen perſtricturus omnia illorum capita. Quod legatorem Batauorum negotia attinet, illa pæne confecta ſunt, exantlatis maximis moleſtiarum difficultatibus, idcirco reditum boni viri in patriam parant. Spei ab initio ampliſſimæ factæ, ſicut fieri ſolet in primordiis humanarum rerum, non reſpondet parilis euentus. Cuncta nimirum promiſſa fuerunt vberiora et fecundiora, antequam illi huc venirent,

rent, quam nunc opere et facto exhibentur. Illud Ouidii

Promittas, facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet esse potest,

valde commune hodie est inter Reges et Principes, quando alius alium vel in bellum, vel ad aliud quid aggrediendum, perpellere & inducere satagit. Quid vero nobis emolumenti ex illa cum Batauis inita suppetiarum stipulatione? Parua aut potius nulla. Nam ne mentio quidem in tabulis facta est Palatinatus, nisi in exordio, & perfunctorie tamen, dicisue duntaxat caussa. At legatis certe culpa minime est imputanda. Statim enim et velut in limine consuluerunt & proposuerunt, Regem consultius facturum, & fundamentum solidum recuperandæ palatinatus positurum, si percusso legitimo & formali fœdere, vires suas, cum communibus communis caussæ amicis, contra communes communis libertatis hostes coniunxerit, & justum exercitum sub ductu Sereniſſimi Regis Friderici in Germaniam miserit, & ipse vndique mari & terra Hispanis bellum intulerit. Verum a Rege & proceribus tantum impetrare non potuerunt. Quod si cuncta expendo, & quæ cum ordinum legatis pacta sunt, libro, haud scio, an hi causſam habeant multum gloriandi, ac si magni & præclari aliquid obtinuerint: siquidem Hispanis eadem, quæ illis in effectu concessa videntur. Nam Vaussius Scotus æque a Rege impetrauit facultatem, conscribendi in gratiam Hispanorum aliquot peditum Britannorum cohortes. Illud fortassis Batani loco beneficii præ Hispanis habent, quod Rex Jacobus sit stipendia numeraturus alendis auxiliaribus, quas ordinibus suppetias mittit, copiis: Hispani vero ex suo, vt conscribant et alant tyrones, necesse habeant. At Batani quoque sumtus et nummos ab Anglis prænumeratos refundere et reddere coguntur, certo præstituto tempore, sicut id pactis cautum est. Hispanis autem turpe fuisset pecuniam mutuo petere

tere vel accipere, quod ipſi auri affluant abundantia, ſi Diis placet, neque pro dignitate tanti tamque opulenti Monarchæ fuiſſet, nomina facere. Interea in aliis etiam Rex eis gratificatur, adeo, vt ſi æqua lance trutinaueris, quæ Hiſpani et Bataui ex regni amicitia et fœdere conſequuntur, neſcias vtri potiorem et maiorem inde vtilitatem recipiant. Sed dicunt Angli, paucos admodum inter ipſos reperiri, qui velint ſtipendia ſub Hiſpanis mereri. Omnem enim plebem ſummo odio ferri contra Hiſpanos, quorum etiam nomen, et cauſſam, religionemque deteſtentur, et exſecrentur, vno aut altero viliſſimo mancipio excepto, quo purganda ſit Inſula: proinde nullam remoram aut impedimentum dilectui, quem Bataui ſint habituri in Anglia acceſſurum, etiamſi Hiſpani pari cum eis in conſcribendo milite vtantur poteſtate et licentia: Omnes enim e populo et plebe, ſponte, promiſcue, et agminatim aduoluturos, vt digni habeantur, qui ſub ſignis Batauorum ſtipendia faciant. Ponamus iſta eſſe vera, ſicuti premuntur, quis prudentiorum ignorat, quantum nihilominus conſternationis et diffidentiæ in animis exterorum et amicorum Principum, qui iam opinionem de alienata Regis et Hiſpani amicitia mente conceperant, res iſta concitatura ſit. Tabulas conuentionis, vulgo vocant fœdus, cum tamen fœdus proprie dici nequeat, quia nullum auxilium, mutuum pactum, nec vllus hoſtis denominatus eſt, ſed nuda tantum ſit conuentio et permiſſio conſcribendi militem, mihi inſpicere obiter licuit legendas traditas ab amico confidentiori. Angli ne verbum quidem vllum mihi de illis locuti ſunt, quia rem iſtam, nos et noſtram cauſſam vix attingere putant. Imo animaduerti, Conwæum indignari, cum interdum ex eo percontarer, quo loco eſſet negotii illius tractatio, aut quando vrgebam eius profecutionem, vel mei admiſſionem. Si alius, cui tam exacte ſtylus, vt ita loquar, huius curiæ non eſſet cognitus, quique non eam, quam ego habeo, fami-

familiaritatem, & liberum ad quemuis acceſſum haberet, meo foret loco, ne hilum quidem vel gry de iis, quæ hic aguntur, cognoſceret. Quapropter, quod nobiſcum deinceps arbitramini purpuratos communicaturos & diligentius & confidentius de rebus Germaniam concernentibus, contrarium experiemini, ſicut etiam rationibus plurimis docere poſſem. Inſolentia nimirum, ignorantia, odium & inuidia, priuatæ vtilitatis ſtudium, noſtri contemtus, & ſimilia, impediunt, & obſtant. Et ſane, ſi verum admittitis, vos quoque cauſſam præbuiſtis, dum ab initio vos nimium faciles, & ad omne obſequium procliues exhibuiſtis, & cunctis præceptis & poſtulatis, quæ etiam improbare ſolebatis, aſſenſum promtum accomodaſtis.

Vt aliquis ſub prætextu priuatæ rei gerendæ mittatur a Rege Jacobo ad Principes Germaniæ, partim animandos, partim informandos, partim ad ipſorum conſilia exploranda, haud indiligenter petii. Sed, quod cum mœrore & indignatione proloquar, nihil promoveo: video res & cauſſam noſtram vbique vapulare & ſtultitiam pati. Aiunt legatione, quam Auſtrutherus obiturus ſit, ſatis conſuli negotio, nec opus eſſe nouis ſumtibus. Quin vero Saxo ſe mox promoueri ſinet, vt Bauarum pro collega agnoſcat & recipiat, ego non dudito. Noui enim, quam comparatum ſit ſaxum illud: adſpectu & mole magnum & immobile apparet. Sed ſtat lubrico in loco, & quod ad voluendum aptiſſimum eſt, rotundum & teres eſt; oculis inſuper & auribus, ſicut ſaxa ſolent, caret. Non enim poteſt præuidere periculum, quod in proximo excubias agens, ipſum manet & breui circumcingat; nec credere vult iis, qui demonſtrant & prædicunt. Sibi enim ſoli aquilam parcituram retur, o ſtupor! Robertus Anſtraterus a Rege dimiſſus, iter breui ingreſſurus eſt: mittitur petitum a Principibus Germaniæ conſilium, quomodo rebus collapſis ſubveniri, pax reſtabiliri, & vnusquisque ad priſtinam

ſuam fortunam & jura reſtitui poſſe putent; Viciſſim Principes certiores faciet, tum de conſtanti Regis Jacobi propoſito, in procuranda, ſiue armis, ſiue per compoſitionem, reſtitutione Palatinatus, tam de propenſa erga vnumquemque, qui opitulatus fuerit, operamque contulerit, voluntate, & grati animi declaratione. In cauſſa Mansfeldii Gallus tergi verſatur, & conditiones captioſas confingit: diffidit nimirum Jacobi ingenio. Finis & ſcopus amborum iſtorum Regum diuerſi ſunt; ita, vt valde difficile ſit conciliare & coniungere. Gallus contra Hiſpanos, a quorum nimium creſcente, & indies progrediente potentia, periculum ſibi, & reliquis in Europa Principibus, & regnis imminere animaduertit, bellum quidem ſuſcepi & geri deſiderat, ſed ipſemet illi, ſeſe implicare, ſociumue hoſtemque, publice & propalam profiteri, nequaquam intendit: adhæc imperii Principes Imperatorem, & vel maxime Bauarum, offendere, & provocare, temerarii & imprudentis eſſe judicant. Anglus autem prætexere & obtendere incipit, ſibi non tam cum Hiſpano, quem imperii negotia non ita arcte ligent, quam cum Imperatore & Bavaro negotium eſſe, ideo Gallum amicitiam & fœdus ſecum paciſci & ſociatis copiis anniti debere, vt libertas Germaniæ, reſtituto Electore Palatino genero ſuo, a ſitu & ſqualore vindicetur. Se enim ſolum non poſſe rem tanti laboris & ponderis attollere, & ad priſtinum ſtatum revocare: promtum quidem & paratum eſſe, quæ ſuarum virium ſint, in commune contribuere & conferre; illis vero culpam neglecti & omiſſi operis imputandam, qui in ſocietatem & communionem venire negligant. Sunt, qui ſibi perſuadent, Mansfeldium vel ideo electum, & ad hoc bellum deſtinatum, ne res procederet, ſed impedimentum remoramque reciperet ex odio & invidia, quo bonus ille dux vbique flagellatur. Hinc eo magis Regi Jacobo acceptum fuiſſe, quod a Genero non venerat miſſus, nec commendatus, tantoque pluris æſtimatum, quanto minoris ab hoc fieret. De

Digitized by Google

De conjunctione armorum & confœderatione cum Sueco ineunda, ſicut in medium proponitur, dum Glorioſiſſimus ille Septentrionis dominator, ſuam ſibi certis conditionibus operam, & opem ſublevandæ Reipublicæ defert & pollicetur, ſæpe cogitavi, & rem conſideratione ac favore dignam iudico, nec factu arduam & difficilem, ſi homines, cum quibus id negotium curare debemus, ſana & meliora conſilia auſcultare potius, quam præconceptis opinionibus indulgere mallent. Si hic loci quidquam movemus, inſtamus, vrgemus, lapidibus loquimur, & ſurdos tintinnabulo ad mercatum convocamus. At vero haud eſt prudentis contra torrentem bracchia jactare, & tempori reſiſtere, vel vela in ventum & refluxum diſtendere. Non hæc ideo dico, ac ſi velim aliquid eorum omittere, quæ mei officii & muneris eſſe iudicavero: ſed ne imprudentiæ imputetur, aut me non prævidiſſe ex ſilentio arguar. Interea faciam, quantum in meis viribus erit, nec deſiſtam monere rogando, obteſtando, obſecrando. Ita me conſcientia, conſiliis & officii fideliter obſervati teget. De Stuarto nihil amplius ſcribo; Jacobus Spenſius, qui, rebus ſatis feliciter expeditis, cuncta plenius exponet, & refert. Præterea ſi alia ſcriptione digna deinceps occurrent, Sueci procurator, qui hic relictus eſt, ea ad te perſcribere poterit. Hoc modo ego ſublevabor ſcribendi faſce, qui alias meis humeris totus imponitur.

Comes Briſtolius animadvertens, ſe ad priſtinam potentiam, autoritatem, & dignitatem, æmulo Bukinghamio in aula potiente rerum, & Principe a Carolo ſe alienato, redire non poſſe, jam in rus ſecedere, & vitam procul a negotio degere inſtituit. Sapiens erit, ſi hoc conſilium executus fuerit, ſapientior ad huc, ſi quieſcere, latere, & tacere noverit: verum vereor, ne paulo poſt, raptis patientiæ vinculis, ſolitudinem faſtidire, & ad fumos aulæ oculos detorquere, & reflectere incipiat, & ſe a vindictæ, impatientiæque, ac ambitionis affectu

vinci patiatur. Ingenium enim hominis impatiens quietis, & amans vani honoris mihi cognitum est. Mirum erit, si in eo proverbium, anus ad armillam, fallit. Natura etiam habent hoc Britanni cum omnibus insulanis, vt mutabiles sint & inconstantes in proposito; levis occasio sive persuasio & exhortatio amicorum, sive captandæ auræ popularis vel plebis, sive præceps opinio, sive alia similis causa eos facile de sententiæ statione deturbat & dimovet. Et sane iam quoque non paucos Tritones in aula hac animadvertimus, vacillare & pendere animi, alii ne pereant & ejiciantur cum iis, qui primi autores & suasores fuerunt novorum consiliorum, alii resumto pristino Hispanis dedicato obsequio, quod non dissimulant, res in priorem statum convertere satagunt, alii spe obtinendarum dignitatum & munerum parati sunt se accommodare illis, penes quos est autoritas consequendi & impetrandi. Inter Dacum, Gabrielem Bethlenium, & cæsarem pax in Pannonia nondum stabilita est. Nam conditiones, quas Vienna transmissas legi, prius a Daco, & ordinibus regni Ungariæ, in comitiis calatis confirmari & ratas haberi debent. Non possum permovere Jacobum, vt ad Principem istum, qui Austriacis maximo terrori est, literas, amicitiæ & necessitudinis parandæ & conglutinandæ obsides, scribat. Quid ad talia Regem, a quibus eius ingenium, mores, & mens abhorrent, adducere & persuadere conatur, cœlum & terram, ut ita dicam, Archimedeo ausu movere aggreditur. Si literæ in eum sensum ad Hispanum, ad Infantam, ad Cæsarem scribendæ peterentur, tam facile foret, quam vulpes pirum comest. Quod ordines confœderati Belgii illic omnia citius per suos nuncios hic commorantes resciscant, & intelligant, quam vos ex me, non est in me cudenda faba. Aussim hoc religiose attestari, & confidenter asserere, me æque diligenter, si non diligentius, ac illi, scribere; verum, quia meæ, sicut deprehendo, detinentur intra manus deferentium, donec ordines

dines accipiant ſuas, neceſſe eſt, vt illi prius, quam vos, cuncta cognoſcant.

Conſilium illud, quod Sereniſſimo noſtro Principi datum eſt de pignorandis, vel ut vulgo loquimur, arreſtandis Dunckerkianis navibus, quæ in portus Anglicanas a Batavorum epibatis & claſſiariis fugatæ, ab iisdem obſidentur, locum habere in Anglia non poſſe aſſeverant. Repreſſalia enim eſſe ſpeciem juſti belli, & in iis concedendis pugnam quodammodo offerri, vnde bellum ſequatur; & licet illud juſtum eſſe dici poſſit, infinita tamen ſecum trahere incommoda, & publicis ſcandalis viam aperire, quibus ſummus Princeps anſam præbere non debeat, maxime ſi ad priuatam utilitatem petantur repreſſalia, quæ publicæ quieti poſtponi debet. Sicut Gailius Jurisconſultus iſta omnia pluribus doceat. libr. ſingular. de pignorat. obſerv. 2. n. 2. & 3. At bellum contra Hiſpanos Anglum nondum decreviſſe, nec decernendi adhuc tempus eſſe. Deinde ajunt, datam fuiſſe navibus iſtis ſecuritatem a Rege, imo ex contractu & ſtipulatu fœderis illam deberi: ideo clarigationem & repreſſalias concedi nefas eſſe. Si pignoratio, ſive arreſtum fuiſſet petitum ſecundum præſcriptum legum civilium, conſultius fuiſſe, quia tali caſu, ſi repreſſalia fuiſſent conceſſa, pax læſa, aut hoilitas commiſſa haud dici potuiſſet. Adde, quod dicant, rem iſtam liberos & familiam regis concernere, idcirco circumſpectius eſſe agendum, & jura propter officia ſecunda, quæ vulgo rationem ſtatus dici, Caſaubonus ad Polybium notat, ſuſpendenda.

Princeps Anhaltinus Viennam, impetratam reconciliationem a Cæſare, profectus eſt. In itinere Bavarum, quem hoc tempore alpha & omega eſſe ſcit, apud Ferdinandum Imperatorem allocutus eſt. Non dubitat, quin ſibi Cæſar præteritorum veniam ſit daturus, & in priſtinam gratiam recepturus. Veriſimile ſane eſt:

Dat enim veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Quæ Norimbergæ de Comitis Mansfeldii expeditione ſermocinatus ſit & judicarit, procul dubio vobis quoque perſcriptum eſt. Vereor, vt Helenus ſit, nec mihi quoque, qui tamen toto animo propendeo & faveo, multum de illa lubrico fundamento inſiſtente expeditione promittere poſſum. Sed ne ſimus miſeri ante diem. Nam craſtinus dies ſollicitus erit de rebus ſuis. Sufficit diei ſuum malum.

Habes epiſtolam, Vir ampliſſime, per ſaturam & lanem ſcriptam: ignoſce & prolixitati & ſcriptioni ἀμεθόδῳ. Vale cum ſanctiſſima & lectiſſima familia. Dabam Londini VI. Idus Junii clɔlɔcxxiv. (a)

(a) *Differt nonnullis locis ab ea, quam Miegius & Nebelius ediderunt n. XXIII. p.* 319-24.

Epiſtola XXI.

Ex iis, quæ iterum prolixius ad Sereniſſimum noſtrum perſcribo, cognoſces pluribus, Vir ampliſſime, verum rerum & conſiliorum in hoc regno ſtatum, & quid nobis in cauſa noſtra ſperandum ſit. Quis Reipublicæ amans non indignetur, & bile commoveatur, videns ordines & proceres, penes quos eſt autoritas & arbitrium conſiliorum, malle privatis & domeſticis, eisque frivolis diſſidiis & litibus operam impendere, quam vel minimam publicorum & maioris momenti negotiorum curam habere? Quis ſe cohibeat intra patientiæ cancellos, & infermento non ſit, cum eos & ſibi, & Reipublicæ, & nobis ita deeſſe, et conſilia illa, quæ vltro, et cum tanto fervore atque impetu, nobis etiam inconſultis, & fortaſſe aliud, ſi conſulti fuiſſemus, ſuaſuris, inierunt et concluſerunt, tam ſegniter et vecorditer exequi? Aiunt nimirum, nimis tardum eſſe, hoc anno arma capere; expectandum eſſe, donec Gallorum, aliorumque vicinorum in ſe voluntates explorent et perveſtigent. Operæ enim pretium eſſe prius cognoſcere, quid hi ipſis bello implicatis facturi ſint, quam incogitan-

tantes bellum movere. At hæc, ſi prudentiæ rite litare voluiſſent, debebant ab initio, antequam abrumperent colloquia pacis cum Hiſpano, præcogitaſſe et in conſideratione habuiſſe. Jam, poſtquam Hiſpanum irritarunt, et bellum denunciarunt, quid aliud agunt, quam prodere tum præcipitantiam et inconſtantiam conſultorum, tum timiditatem animi, et quod non ſatis fortitudinis habeant; ſed ſibi ipſis diffidant et de rei ſumma deſperent. Humores in corpore humano non moviſſe præſtat, quam motos non removere. Melius et conſultius nunquam cepiſſe, quam in curſu deficere, et herbam anteconflictam dare. Quid iuvat ringere, et hoſti ſtrictos oſtendere dentes, cum mordere non ſit facultas nec animus? Improvidi et temerarii eſt, offendere et provocare adverſarium, cum ipſe in pugna comparere non audes, ſed tergiverſaris, te abdis et refugis congredi. Aut bella non ſunt denuncianda, aut denunciata ſtatim et ſine cunctatione, ne hoſtis ex mora animos recipiat, et tempus conſequatur te præveniendi et occupandi, exſequenda. Plurimum intereſt, an hoſtem imparatum et trepidantem, an paratum et viribus collectis fidentem, adoriaris. Plus animi eſt inferenti, quam propulſanti bellum. Hanc ſuorum fluctuationem, et mobilitatem opinionum, ſagaciſſimus Rex non modo prævidit, ſed et inſtillavit et fovit. Hæc ſi conſidero, mihi in buccam venit illud, quod de Valente ſcribitur: eum nempe inutili contatione agendi tempora conſultando perdidiſſe, modo vtrumque conſilium adſpernatum, quod inter ancipitia deterrimum ſit, nec auſum ſatis, nec ſatis providiſſe. Verum ne nos excruciemus cogitatione iſtarum viciſſitudinum: relinquamus omnia divinæ providentiæ regenda et dirigenda.

Patrem Seraphicum adhuc apud vos commorari et novas propoſitiones compoſitionis et reconciliationis in medium afferre: ducem etiam Wirtenbergiæ eundem ad ſcopum ad Sereniſſimum noſtrum ſcripſiſſe additis

certis conditionibus in aula cæſarea præſcriptis, aliunde quidem, quam per veſtras literas, ſed perfunctorie intellexi, ita, vt quid proprie de eo credere debeam, ignorem. Spero autem, me propediem de omnibus per vos informatum iri pleniſſime. Interea velim ſciatis, qualia judicia noſtri, qui de compoſitione iſtius negotio aliquid rumore inaudiverunt, ferunt. Indignantur, et in ſequiorem partem accipiunt, quod Sereniſſimus Fridericus ſuſtineat auſcultare commentitias et fraudulentas monachi veteratoris, ita loquuntur, propoſitiones: quod homuncionem emiſſarium ad ſe admittere, cum eo non ſemel confabulari et ſermones cædere, quod eum tam diu ferre et ſecum commorari dignetur. Si credat, Bavarum ſincere agere, ſuamque amicitiam expetere, ac res inter ſe et ipſum revera compoſitas deſiderare, nunc denuo deluſum iri, qui toties deceptricibus pactionibus fuerit deluſus. Improbe facere, qui Neptunum accuſet, alterum naufragium faciens. Mirum autem eſſe, quod Fridericus ex ipſo tempore, quo Angli omnibus eiusmodi captioſis et ad circumducendum tempus excogitatis colloquiis nuncium miſerint, ſe illis ipſe involvi patiatur, cum tamen identidem conqueſtus ſit, quod Rex ſocer iis ſe circumveniri ſiverit. Hæc eſt talia auribus meis imbibere cogor; adde, quod Conwæus noſter mihi dixerit, Principem ipſum & ducem Bukinghamiæ nonnihil conturbari, & aliquam ſuſpicionis vmbellam inde concipere, ac ſi Sereniſſimus noſter diffidat Anglis, & parum fundamenti in ipſorum conſultis & concluſis ponat. Ego reſpondi: me quidem nihil certi affirmare poſſe de vllis pactionibus, quibus Fridericus inſcio et nolente Rege Socero ſe involui paſſus ſit: hoc tamen ſcire cum omnium optime noſſe, quid ſuis rebus conducat, quidque rerum Germanicarum ſtatus a ſe requirat. Si quid agat, id eum non incogitanter & inconſulte agere, nec eo fine, vt Anglorum fortiora conſilia impediat, & diuertat, ſed po-

potius promoueat & excitet: rationem, ſi opus fuerit, redditurum actionum & conſiliorum ſuorum: Angli modo progrediantur alacriter, nec ſe a propoſito martiali dimoueri per incertos rumores ſinant. Vides hinc, Ampliſſime Vir, nimis verum eſſe effatum illud, Anglorum plurimos velle, vt toti a ſuis nutibus & mente dependeamus, & noſtras actiones & conſilia, cenſuræ, & arbitrio, & directioni ipſorum ſubmittamus. Hæc tamen, ſi viri eſtis, non impedient, quin vobis ipſimet optime ſitis conſulturi, & eam ſemper viam, quæ rebus veſtris optima viſa fuerit, electuri, non attentis, ſed modeſte refutatis oblocutionibus & argumentis contrariis. Conſilia veſtra non laudabuntur, niſi peracta. Interuentio Ducis Wirtenbergici meo iudicio non eſt vilipendenda nec rejicienda.

Sæpius a me flagitatum fuit, & quidem a viris haud exiguæ autoritatis, vt Sereniſſimo noſtro conſilium, quod ipſi non inuita Minerua reperiſſe ſe arbitrantur, proponerem: nempe eum conſulto facturum, ſi a Rege ſocero petat, vt ſibi poteſtatem & facultatem faciat, concedendi Anglis ſub nomine et autoritate ſua jus clarigationis & pignorationis contra Hiſpanos. Regem hoc non denegaturum. Inter Anglos quamplurimos paratos eſſe ſuis ſumtibus & nauibus iuſtructis rem iſtam exſequi: prædas acturos, modo Rex et Regina Bohemiæ, in quorum commodum illud intendant, mandata eis, & literas repreſſaliarum, vt vulgo vocant, transmittant, & Rex magnæ Britanniæ aſſenſerit aut permiſerit. Quanquam ego æſtimem, rem eſſe incertam, & minime a Rege Jacobo permittendam; nihilominus tamen, quia toties et tam enixe requiſitus fui, eam ad Sereniſſimum noſtrum retuli: vos jam poteſtis de ea deliberare, et conſilium commodum capere. Ego, vt iterum dicam, quod ſentio, caſtella hiſpanica in aëre ædificata iſta omnia eſſe ſtatuo.

Comes Mansfeldius propediem huc veniet, & quidem

dem incognitus, uno aut altero tantum familiari comite munitus. Bonaventura Desguierius hoc ei consilium instillauit, consuadente Cardinale Richelio, & cæteris sanctioris consilii purpuratis, qui sub honesto hoc prætextu eum amoliri satagebant, ne ad Regem veniret, sicut in animo habebat, et tum non longe aberat Lutetia Parisiorum. Desguierius igitur in hanc sententiam scripsit: Regem propter plurimas gravissimas considerationes desiderare, vt differat paululum suum ad se accessum: consultius vero facturum, si interea in Angliam excurrat, ibi præsentiam ejus hoc rerum statu utiliorem fore, cum ut consilio & suasu Anglos in nouis consultis confirmet, animet, & ad progrediendum cohortetur, tum ut de belli gerendi ratione edoceat, et permoveat, vt suo imperio et ducatui exercitum submittant, constituta ad alimoniam certa pecuniæ summa. Si hoc effecerit, eum tanto citius et felicius rem suam cum Gallo quoque confecturum. Offert enim vtrique Regi, Anglo, et Gallo, Mansfeldius operam suam, & se susceperum expeditionem in Germaniam pro vindicanda contra Austriacos libertate Principum, si sibi ad conscribendum & sustentandum exercitum necessarii & modici sumtus subministrentur. Vale, Vir amplissime. Dabam Londini Idib. April. cIↃ IↃ c xxiv.

Epistola XXII.

Ad diversas tuas, unas XI. alteras, et quidem binas XIV. Kalend. ultimas IV. Non. Maj. exaratas responsum debeo, Vir amplissime: nunc dabo, sed diffusum et inconditum pro more meo: vestigia tamen tuarum premam et sequar. Ante omnia autem tecum calamitosissimum luctuosissima Patriæ et totius Europæ, religionis orthodoxæ & libertatis ad ultimas angustiæ & periculi lineas redactæ statum deploro, et exspem nostræ caussæ et fortunæ conditionem lamentor. Quod semper opinatus sum et iudicaui, illud vel nunc maxi-

me

me ſentio, nimirum de nobis noſtrique reſtitutione plane actum fore, ſi Imperator et Liguſtæ oportunitatem celebrandorum comitiorum, quam omnibus modis conquirunt, et ſe conſecuturos ſperant Electore Saxoniæ, ut Bavarum pro collega agnoſcat, permoto et ad partium ſtudia pertracto, nacti ſententiam & decretum ab Ordinibus fieri et pacis leges nemini non obſervandas præſcribi faciant. Definitiva autem ſententia in cauſſa Palatinata lata, & communibus Ordinum ſuffragiis, vel coactis vel volentibus approbata, non erit amplius locus, querendæ et procurandæ integræ noſtri priſtini ſtatus reſtitutionis, ſive per arma, ſive per compoſitionem obtinendæ. Nam ſtabunt ſcripta

- - molimine vaſto
Ex ære et ſolido rerum tabularia ferro.

Conſenſum vero ſuum nec Saxo, nec alii, qui ab eo dependent, diutius different; deſiderio aureæ pacis transverſum abrepti et excæcati. Et vel ideo tanto facilius ſibi imponi & verba dari ſinent, ignari graviorem ſub pace propoſita et perſuaſa martem abſcondi et celari. Vereor itaque, ne ſpecioſam & ſimulatam ad breve tempus duraturam pactionem pacis, etiam ignominioſæ et ſervilis, dubiis rebus & timori continuo præferre malint: ac propterea ad ea ſe adduci & flecti patiantur, quæ et ipſis et univerſæ reipublicæ internecinum bellum et extremam ruinam allatura ſunt. Saxoniæ ducis ingenium, impetus, et conſilia cognita ſunt. Princeps eſt, qui affectibus ſuis indulget, et frena laxat: adhæc implacabili odio et pertinaci ſimultate contra Sereniſſimum Fridericum, quem certe ad priorem fortunam et potentiam reſtitutum minime cupiet, quin reſtituendum impediet et remorabitur, flagrat et ſtimulatur. Ni hoc eſſet, qui tam cæcus eſſe poſſet, vt non prævideat Bavaro in collegium ſeptemvirale recepto, & adverſam ſuffragiorum lancem inclinante, res imperii prorſus vorſus vertendas, & cuncta perpetuis diſſidiis, motibus, incendiis,

Digitized by Google

diis, querelis, & bellis commiſcenda et perturbanda. Hæc apud Regem et proceres continenter & ad nauſeam usque inculco, demonſtro, & vt tanto malo mature vel obvietur, vel ſufflamen injiciatur, moneo, obſecro & obteſtor quanta poſſum animi contentione: ſed ſurdis fabulam, et Ponto ſemina. Nam in pectus iſta homines non demittunt, nec conveniente tantæ rei ſcrutinio examinant et perpendent: ſed audita transmittunt et inſuper habent, ſuis duntaxat conſiliis et privatis commodis, ſecundum quæ publica negotia metiuntur, inhærentes. Quod Juventinus et Maximilianus ſatellites videntes perniciosa Juliani Imperatoris acta et conſilia, leguntur apud Theodoritum lib. IV. cap. VI. quem autorem nunc horis ſubceſivis evolvo, dixiſſe, idem mihi liceat apud te dicere. Hæc, inquiunt, etiam domi deflevimus, et nunc te præſente graviter conquerimur.

Comitia autem calata omnium Ordinum, quæ generalia et communia vocamus, inſtitui et celebrari non poſſunt, quamdiu motus et bella in Imperio vigent, resque ſurſum ac deorſum volvuntur, et vel Imperator potenti exercitu inſtructus imminet, cervicibus, vel arma pro Friderico et pro tuenda libertate et religione circumferuntur et continuantur. Nam nec Ordines convenire, nec libera ſuffragia mittere audebunt, Cæſare armato: nec Fridericum condemnari ſuſtinebunt, etiamſi conveniant, ſi ei ſpem aliquam in armis vel ſuis vel amicorum ſupereſſe, et rem fortunamque dubiam eſſe viderint. Quamdiu enim tali in alveolo vel fritillo ſtant, et neutra pars ludentium luſui renunciavit, nemo poteſt de exitu aleæ pronunciare et judicare. Sæpe vltima manus reſtauravit omnem præcedentem jacturam: ſæpe vincentem victus vicit. Electorum et paucorum Ordinum conventum celebrare quidem Cæſar et Liguiſtæ poſſunt, nec omittent, ſi commodum fuerit; ſed hi judices domeſtici, et in propria cauſſa ſecundum ſe pronuntiantes, don poſſunt decretum et ſententiam

tiam legitimam et validam, quam omnes comprobare & ratum habere cogantur, condere: ad hæc Friderico ſemper remedium proteſtationis, et exceptionis nullitatis et injuſtitiæ ſupereſt contra eiusmodi manifeſte iniquam et præcipitem ſententiam et condemnationem: quod haud ſcio, an æque locum habiturum ſit contra vniverſos totius imperii Ordines, quos recuſare et judices pati nolle, aut accuſare iniuſtitiæ et partialitatis, incivile, durum, et inauditum foret. Quod Mansfeldium attinet, jamdudum per meas intellexiſtis, quid cum eo factum et transactum ſit: ne quid igitur amplius, aliquidque novi petatis aut exſpectetis, a Rege circa reſtitutionem Palatinatus. Contenti ſitis hoc Catone. Si ea progreſſum habuerint, ſicut habitura ſpero, ſaltem aliquem metum noſtris hoſtibus incutient, eorumque exitioſa conſilia et molitiones, ne tam cito et expeditum eos exſequi valeant, divertent et remorabuntur. Mansfeldius certe in ſua diligentia et induſtria nihil deſiderari patietur, modo Angli feſtinent, et nummos conſtitutos repræſentent: is utetur cognita ſolertia et requiſita libertate. Quamplurimos autem inter Ordines hujus regni, e quorum numero ſunt maximi, quæ noſtræ cauſæ inprimis favent, animadverto et deprehendo, quod animis veteri timore et diffidentia imbutis, continuo timeant, vt omnia illa cum Mansfeldio inita pacta in fumum abeant, et mens nunquam fuerit adimplendi promiſſa et condicta. Regem enim ita rem omnem adornaſſe ajunt, vt effugia quamplurima ſibi reſervarit, per quæ integrum ei ſemper ſit pœnitere, et a pactis recedere; ideoque eam conditionem addidiſſe, vt tum demum cum Gallus quoque aſſenſerit, et ſuam ſymbolam conferre paratus fuerit, plane obligatus habeatur, et conventa ex ſua parte implere teneatur. Si nunc Gallus differat, tergiverſetur, moras nectat, vel ſcrupulum difficultatemque moveat, vel graves impertinentesque conditiones admiſceat: ſic alii

Prin-

Principes ſeſe opponant, vel diſſuadeant, et dehortentur: ſi comitia regni re infecta diſſolvantur, aut in aliud tempus prorogentur: ſi alia ejusmodi impedimenta et remeligines interjiciantur, Regem eas, tanquam exoptatas cauſſas, et prætextus recedendi cum honore a ſtipulatione ambabus amplexurum manibus, et ſibi gratulaturum, quod tam votiva occaſio, qua ſe tueri et e labyrintho extricare poſſit, oblata fuerit: tunc plauſibili cum obtentu dicturum, ſe ſolum tantam molem ſuſtinere non poſſe, nec conſultum, ut quieſcentibus, et inutilis ſociis et amicis, bello ſe implicet, vel ad ſublevandas alienas neceſſitates proprium regnum deſtituat, et adminiculis orbet, alia ſimilia quoque prætexturum. Si mens ejus et intentio ab initio fuiſſet ſincera, et deſtinata ad conſummanda pacta, eum communicaturum fuiſſe conſilia cum Ordinum Batavorum legatis, apud ſe commorantibus et operam offerentibus: nec omiſſurum fuiſſe cum generum ſuum, quem ea res unice et proprie concernat in ſocietatem conſiliorum vocare, tum Galli mentem et animum mature explorare. Sed nihil adhuc cum illis aliisve, ſine quorum tamen ope, adniſu, auxilio, et favore, expeditio iſta feliciter ſuccedere nequeat, actum geſtumque: nihil etiam Ordinibus regni, qui tamen nervum rerum gerendarum, hoc eſt, nummos contribuere tenentur, ſignificatum et propoſitum: adhæc ne ſemel quidem conſiliarios bellicos ad eum finem conſtitutos ad deliberationem adhibitos. Si animus et propoſitum eſſet ſerio aggrediundi et conficiendi opus incœptum, ſaltem etiamnum cum Ordinibus Batavis, qui meliores amici et potentiores vicini ſint, quibusque omnium tutiſſime confidi et credi poſſit, conſilia ſociaturum et accuraturum, vt adſtipularentur et circumadniterentur, quandoquidem ſine ipſorum opitulatu et conniſu res progreſſum habere vix queat. Bene enim noſſe fundamentum rei feliciter gerendæ apud Batavos eſſe jaciendum; præſertim ſi hanc ſuam cum

Mans-

Digitized by Google

Mansfeldio, ut ita dicam, captam ſtructuram habere velit confectam. Præterea nullum Principum ſibi fidem habiturum, vel in ſocietatem ſecum ingreſſurum, antequam reapſe cum Batavis terra marique junctum et conſociatum videant. Omnes enim legationes, cuncta promiſſa magnifica, ſpes amplas, declarationes ſpecioſas et largas, et ſimiles oſtentationi paratas actiones cenſeri et haberi non ſecus, ac vitrea fracta et ſomniorum interpretamenta: quæ ſicut riſu, ludibrio, et damno plena ſint, ita quoque ſucceſſu caritura. Hæc judicia homines diffidentes, et qui Regis ſui ingenium et naturam penitiſſime perſpectam ſe habere putant, faciunt: ea, ne ignarus eſſes, Vir ampliſſime, operæ pretium duxi referre, quemadmodum auribus meis in familiaribus congreſſibus quotidie audio. Quid vero inde inferemus et nobis promittemus, quod Angli cauſſam reſtitutionis noſtræ a negotiatione, quam cum Ordinibus inſtituunt, ſejunctam et excluſam velint? Nam hoc expreſſe factum eſt, quod ſane miraberis et indigneris. Nam cum legati innuerent, ſibi Regis et Reginæ Bohemiæ cauſſam non minus, quam eam, quæ ipſorum Rempublicam concernat, commendatum fuiſſe, ac propterea rogare, vt illius par ratio habeatur, et ea via ligatur, per quam illorum reſtitutio accelerari et promoveri queat; eum in finem, ſi Regi complacitum fuerit, Patres cum Anglis fœdus arctiſſimum πρὸς συμμαχιὰν ἐπιμαχιὰν inituros et vires conſociaturos, eosdem hoſtes, eosdem amicos habituros. Reſponſum fuit: negotium Palatinatus Principi Carolo, qui curam illius ordignam habiturus ſit, relinquant: hunc nihil neglecturum eorum, quæ ad commodum et utilitatem affinis et ſororis fecerint. Regem fœdus cum Ordinibus ſeparatim paciſciturum, quod ad certa auxilia Batavis ferenda reſtringi, non autem ad alicujus offenſionem extendi cupiat. Ex plurimis enim et ſonticis cauſſis rondum exiſtimare conſultum, vt ſe vlterius illigari,

aut

aut ad fœdus offensivum et defensivum, sicut vulgo loquimur, cum Batavis feriendum adduci patiatur. Quantum hoc damnum rebus nostris allaturum sit, quis non animadvertit? An eas separari permittemus ab iis, quæ indivulse et inseparabili nexu cohærent, & eædem sunt? an consortio fortunæ, quo colligamur cum fidissimis et constantissimis illis nostris Achatibus, nos privari sustinebimus? In eadem navi et freto vehimur, eosdem Deos, eosdem ventos, eosdem hostes habemus, ad eundem portum contendimus, divina denique & humana communia tenemus. Quo magis res nostræ ipsorum rebus et caussa colligantur et connectuntur, eo nobiscum agitur felicius. Absque illorum adjumento, ope, societate, armorumque opitulatione & conjunctione restitui ad pristinam nostram dignitatem et ditiones, nunquam possumus; si res et spes nostras ad Ordinum fortunis seiungi nunc patimur; vereor, vt tandem ab eorum quoque amicitia nos avelli compellamur. An non consultum, vt vos de hac re mature cogitetis. Videbitis igitur, quid conducat et expediat fieri: ego munere me meo defunctum reor, si præmoneam & vos informem. Non committam certe, vt a me aliquid neglectum dici queat, quod ad plenam vestri informationem, & ad veram rerum in his oris cismarinis cognitionem fecerit.

Si denique suspicionem simulatæ & in speciem actæ conventionis evitare, & ex animis hominum sublatam & delatam cuperet, non foturum secreto studio privatas inter Proceres contentiones, & lites, nec eas Ordinibus examinandas commissurum: non protracturum eiusmodi processus de industria, & cum ingeniosa mora; sed breui manu, cum id nullo labore possit, compositurum, & litigantibus silentium impositurum et præcepturum, vt rebus severioribus et publicis vacarent, omissis istis cavillationibus et jurgiis. Præterea non ita neglecturum occasiones et adminicula, quorum beneficio

ficio et opera aſſequi et conticere poſſit id, quod a ſe expectari jubeat: non anſam diffidentiæ populo ſuo præbiturum, nec ſuſpicionem contra ſe aliturum, admiſſis in conclave, & ad intimum affatum oratoribus Hiſpanis: non tam diu & data opera legationes, quas ad Danum, ad Principes imperii, ad Venetos, ad Sabaudum, & alios jam pride deſtinaverit comperendinaturum: non dilaturum exſequi ea, quæ in declaratione ſua ordinibus regni facta ſtipulatus ſit, & confienda promiſerit: adhuc a ſe amoturum Hiſpanicos ſuſurrones & contrariorum conſiliorum ſuggeſtores: facturum inſuper certiores amicos Principes ſui conſilii & propoſiti, eosque requiſiturum de fœdere & conjunctione virium ſecum ſocianda. Apologiam quoque illam, ad quam contexendam quosdam conſiliarios ſuos ſelegerit, publicaturum, vt orbi terrarum palam conſtaret, quomodo, & quas ob cauſſas, inſidioſis & ad deludendum ab Hiſpano propoſitis, & callide in longum productis colloquiis, nuncium mittere, & armorum viam arripere coactus ſit. Apparatus denique militares inſtructurum, & cetera omnia, quæ tantæ expectationi & ſpei a ſe oſtenſæ fecerint, exſecuturum, præſertim cum populus id tantopere vrgeat, & omnes ſuas fortunas ſe contributurum offerat. Addunt tandem vtramque illam declarationem, quam ad poſtulata ordinum fecerit, primam, in quæ colloquia cum Hiſpano abruperit, altera, quæ edicta in Jeſuitas & Pontificios recuſantes executioni demandanda jubet, ad ſpeciem & pompam potius, demulcendæ & ineſcandæ plebi, quam vt vires obtinere & obſervari deberent, factam fuiſſe. Quod Tacitus quodam in loco de Tiberii quadam oratione dixerit, in ea plus dignitatis, quam fidei fuiſſe, idem de iſtis ambabus declarationibus dici poſſe. Nam verba illa calidiora & vehementiora ardentem & tenacem propoſiti mentem præ ſe ferentia & extollentia ſuſpicionem ſimulati animi augere: quæ fiant jactantius, fieri quoque ſimulatius. Veritates orationem

ſimplicem eſſe, & nullas ambages, amplificationes & ſchemata ferre. Vaſcula magis tinnire, quo minus liquoris habeant. Præter conſuetudinem etiam faciliorem ſe ſe erga Proceres & populum exhibere, quibus aliquid denegare in civile putet: nihil omittere, quo ſibi magis ac magis plebis animos devinciat. Mutationem hanc & ſubitam & magnam & contra naturam & inveteratam adſuetudinem aſſumtam eſſe. Adſcititia ferme eſſe ſimulata. Inter alia & iſtud conſiderandum, quod altero ſtatim die, poſtquam declaratio de exſequendis contra Pontificios edictis facta eſſet, & Hiſpani oratores ab affatu Regis digreſſi fuiſſent, emiſſarius eorum Pater Magiſter Pontificius, quas propter iſtam declarationem triſti & abiecto animo eſſe animadverterat, in ſpem erexerit, & ponere metum timoremque juſſerit. Non enim exequenda fore, quæ Rex verbis fuerit comminatus, fulgura & tonitrua eſſe ſine fulmine & telo triſulco, terrere, non ferire: eſſe in ſpeciem promulgata, ad factioſos Puritanorum turbonum ſpiritus deliniendos & continendos: tempus allaturum remedia: in moderatione Regis fiduciam collocarent, & ſilentio ſpem foverent.

Quod porro ſcire cupis, Vir ampliſſime, an & quomodo contentio illa inter Principem Carolum, Ducem Bukinghamiæ, & inter Oratores Hiſpanienſes, de qua in ſuperioribus meis nonnihil ſcripſeram, compoſita & determinata ſit? velim noſcas Regem Jacobum diligenti adhibita inquiſitione cuncta, rimatum eſſe, ita, vt ipſemet ſub ſacroſancti jurisjurandi religione, præcipuos adminiſtros & intimos ſuos Conſiliarios examinarit, perſcrutatus, an aliquis illorum e numero eſſet, qui intellexiſſent aliquid, quod Bukinghamius eiusmodi ſceleſta conſilia de Rege, ſceptro & regni habenis exuendo, & privatis laribus includendo, collocato in ſolium cum aſſenſu & adjutu ordinum regni Carolo filio, animo volveret, volviſſetque? Sed nihil deprehendit, nec vlla in-

indicia ſuſpicionis percipere potuit. Bukinghamius ira & odio in Relatores tumens, & accenſus, ſubindè Regem interpellavit & obſecratus eſt, vt in iſtos falſarios & calumniatores, tanquam in perturbatores tranquillitatis publicæ, qui violato jure gentium, & munere legatorum abuſi, inter patrem & filium inimicitias ſerere, regem & populum invicem committere, regiam & regnum turbis, incendiis, cædibus implere conati fuiſſent, digna cenſura & pœna animadverteret. Legum etiam & jurisperitos, inter quos nec ego præteriebar, qua ratione contra legatos tales officii ſui immemores poſſit agi jure civili, anne rei Majeſtatis læſæ poſtulari, & a Rege in exemplum aliorum caſtigari pro merito poſſent, quoniam non ut legatos & pacis procuratores deceat, ſeſe geſſerint, ſed turbones & ſeditionum conflatores exſtiterint. Reſponſum a prudentioribus, & qui adulari nolebant, legatos crimen læſæ Majeſtatis non committere in exterum Principem, alienamque rempublicam, nec ſubjectos eſſe jurisdictioni illius, ad quem mittantur, conveniri, accuſari, & judicari alibi non poſſe, quam apud ſuos Reges. Finibus & regno, ut intra præſtitutos dies decedant, aut domi ſuæ ſe cohibeant, donec revocentur, injungi & præcipi fas eſſe; interea ab eorum domino petendum, vt in eos pœnam ſumat & ſtatuat, ſi hoc omiſerit, bello juſtitiam denegatam vindicare licere. Verum de delatione illa varia ſunt iudicia: alii, qui calidiores ſunt, diabolicam & veteratoriam criminationem & obtrectationem falſiſſimis & ſacrilegis calumniis refertam vocant: alii, qui moderatiores videri, & cuncta in benigniorem partem interpretari malunt, fidam ſub fide ſilentii, animo non calumniandi, ſed præmonendi factam delationem: alii, qui ſapientiores habentur, & Hiſpanorum dolos ſe noſſe putant, callidum & ad certum ſcopum excogitatum Politicum, quamuis craſſius, mendacium dicunt. Nam oratores hoc ſategiſſe; primo vt domeſticis diſſidiis & diſcordiis

regem & regnum involuerent, ne ad res Germanicas, aut ad reſtitutionem Palatinatus advertere poſſent, tempusve haberent, occupati inteſtinis malis curandis & medendis. Interea Auſtriacis & Regi Hiſpaniarum eo magis integrum foret, ſine rumore in propoſito progredi, & res ſuas in ſecurum ſtatum collocare. Turbato ſtagno anguillarum capturam, ex dogmate Ariſtophanico & faciliorem & certiorem eſſe. Deinde vt Bukinghamium & Principem deterrerent, & diverterent, ne regem ad bellum cum tanta importunitate & contentione incendere & exſtimulare pergerent. Suſpicionis enim anſam contra ſe aucturos, niſi intermitterent, & regem quieſcere ſinerent. Denique vt civiles diſcordias inter hoſtes ſuos ſererent, Regnum ſimultatibus inteſtinis affligerent perderentque, vt inde vtilitatem ipſi conſequerentur. Bukinghamium ſimul & eos, qui odio in Auſtriacos flagrarent, everterent. An autem propter has cauſas oratoribus ignoſcenda ſit calumnia iſta, an ſilentio involvenda & transmittenda, ſicut Rex facere videtur, dum eos a ſe non repellit, nec apud Hiſpanum accuſat, & ad pœnam depoſcit, hoc non eſt meum diſputare.

De Bukinghamio porro, de ejus ingenio, moribus, cultu, vita, conſiliis & actionibus varia & diverſa a me, Vir ampliſſime, ſciſcitaris, vt iis cognitis certius & exploratius judicium & de rerum in Anglia ſtatu, & de hominis mente ac fato facere poſſis. Si laudabili tuæ curioſitati ſatisfacere vellem, non epiſtola, ſed integer liber eſſet componendus. Vt vno verbo multa dicam, & nihil veritati detraham, ſcito, illum eſſe ingenio & moribus, quibus ſunt omnes gratioſi præpotentes. Legantur, quæ Tacitus de Seiano, quæ Polybius de Apelle, quæ Herodianas de Plautiano, quæ Hiſpani de Alvare Luna, quæ Angli de Triſtane, quæ alii de aliis Adminiſtris, penes quos ſolos rei ſumma fuit, ſcripſerunt: ex iis Bukinghamius deſcriptus & ſuis coloribus depictus appa-

apparebit. Vereor autem, vt eius fortuna & potentia caſui ſit propinqua. Fit enim plerumque, vt ſenſus hominum hebetentur & obtundantur, quando fata manum iis injicere parant, adeo, vt verum ſit, quod vulgo dicitur, Deum conſilia corrumpere & mentem obnubilare eorum, quorum fortunam mutare conſtituerit. Idem in Bukinghamio manifeſte deprehendo, quod certe ſignum eſt imminentis & in proximo ſtantis ruinæ. Accedit ad id, quod ex pluribus indiciis conſtet, regem nauſeare longam illam amoris adſuetudinem. Prout ille mentem ſuam demutauit, & aliam, quæ Patroni menti contraria eſt, induit; ita dubitandum minime eſt, quin Rex quoque ſuum in eum adfectum mutarit, quanquam adhuc callide diſſimulet. Cum nuper Bukinghamius apud ordines regni commorari, & deliberationi in comitiis vacare in animum induxiſſet, Rex ad ſe vocatum tenerrime amplexus eſt, & multis in eum editis veteris, & velut ex intervallo renovati amoris ſignis, quæ intermiſerat ab aliquo tempore, apud ſe commanere, & ſibi ſolatio & adjumento eſſe juſſit. Scorpio cum ferire vult paululum, obliqua cauda præludit. Cur vero hominem ſecum habere cupit? an ut impediat, ne res ſuas cum ordinum & populi adſtipulatione conſtabiliat, ſibique illorum favorem nimium devinciat. Adde nunc, quod Rex inimicos & æmulos ipſius, quique neutrarum partium ſunt, crebrius ad ſe venire permittat, diligentius & familiarius cum eis converſetur, quam facere ſolebat, cum ſe Bukinghamio ſoli addixiſſet, & nihil, quod ei diſplicere poſſet, committere voluiſſet. Inprimis vero ſibi a Comite Briſtolio jam ex Hiſpania reverſo, qui manifeſtas cum eo exercet inimicitas, reumque magnorum criminum poſtulare conſtituit, caveat. Fundamentum, quod in autoritate & favore Caroli Principis poſuit, non eſt meo judicio ſolidum & ſtabile, quamdiu Rex Pater vivit. Cum enim Princeps filius ſit, & ſubditus quoque, ac proinde per omnia Patri & Regi

obediens esse cogatur, non satis potentiæ & animi habebit ad protegendum, quem Rex perditum voluerit. Adde quod cuncta consilia, quæ ei instillantur, originem a Patre sumant, qui confidentiores Ministros & familiares, quibus se Princeps totum concredit, sibi clam obnoxios habet, & per eos filium regit & flectit, prout lubet. Hæc si considero, persuasissimum habeo, Jacobum Regem, si unum alterumue annum supervixerit, tempus & occasionem circumspecturum, quomodo sine strepitu & invidia, pulcro cum prætextu & applausu, etiam populi, hominem impotentem a se removeat, & mercedem, quam plerumque Gratiosi Principum consequi & promereri solent, persolvat, sicut prioribus eius Ganymedibus contigit. Iterum me mones, Vir amplissime, omnem operam adhibeam, vt Principis Daciæ ratio apud nos habeatur, eique subsidio pecuniario subveniatur. eum enim per legatos & nuncios petere & contendere, vt sibi a sociis & iis, quorum interlit, auxilia præstentur, tum se in expeditione & bello contra Cæsarem restaurato alacriter perrecturum; sin secus, vitio sibi non datum iri, si in conditiones pacis oblatas consentiat, & rebus suis separatim prospiciat. Solum enim tantum belli molem sustinere non posse: nec fas esse, ut ipse suis telis Danaos ulciscatur ob nostras lacrimas, suisue laboribus & ærumnis aliorum quietem subfulciat illorum destitutus auxiliis. Ego hactenus, quantum potui et valui, feci, sicut ex meis literis potuisti intelligere: sed crede mihi, mi Camerari, laterem lavamus, & contra torrentem brachia jactamus. Nulla iam spes est aliquid ab Anglo impetrandi pro isto Principe. Is enim plus satis se feciſſe arbitratur, quod conventionem cum Mansfeldio de adornanda pro recuperando Palatinatu expeditione inierit. Ad aliud genus auxilii & officii, vel subsidii pecuniarii, se non sinet persuaderi & adstringi. Quod vero ab ordinibus regni aliquid putas exterebrandum, vanum est: illi ultro vel a nobis requi

quiſiti nihil dabunt. Rex autem eos non requiret; nec ipſi ſe a nobis requiri patientur. Adhæc video, ipſorum hominum animos & adfectus magis elangueſcere & intepeſcere. De alia re non cogitant, nec deliberant, quam de propria, intenti in privatarum litium & querimoniarum diſquiſitione. Cum enim exitium ſummi Præfecti ærario, Comitis de Middelſex, aliorum etiam fortunas involvat, & aliquam in aula regia & circa officia Palatina mutationem allaturum videatur, omnes conticeſcunt, attentique ora tenent, ſuſpenſis animis præſtolantes, quo res iſta evaſura ſit: nos nihilominus ea agamus, quæ agere noſtrum eſt, quæque poſſumus. Certiorem ſaltim faciamus Daciæ Principem de Mansfeldii propoſito, & quomodo cum illo transactum ſit: quod Anglus ad bellum ſumtus ſubminiſtret, & res jam fere in procinctu & motu ſit, exercitum jam conſcribi, apparatus fieri, Gallum etiam & alios circumadniti. Igitur nos rogare, ne arma ponat, ſed ſuæ ipſius ſecuritati & honori conſulat, brevi, vbi Mansfeldius in meditullium Germaniæ cum copiis progreſſus ſit, ſublevandus. Spes etiam aliqua de pecunia annummeranda fieri poteſt: interea nos operam dabimus, ut id præſtetur opere.

Cum Jacobo Spenſio, quem ego cottidie experior virum, ad optima conſilia capienda, & ad judicandum tum de domeſticis, tum de alienis rebus ſolertiſſimum, de iis, quæ ad Regis Sueciæ dignitatem & emolumentum ſpectent, creberrime & confidenter admodum confero. Ego gratulor mihi occaſionem dari, qua incomparabili illi & invicto Heroi, quem olim, tanquam novum ab arcto ſidus exorturum, & Leonem illum a ſeptentrione futurum, qui Aquilam increpaturus & res in Europa collapſus reſtituturus ſit, neſcio quo afflatu impulſus perſuadeor & prævideo, poſſim meam qualemcunque opellam & fidem, qua nemini cedo, teſtatam facere. Vt cum Rex Jacobus in numerum equitum aureæ Pe-

riſcelidis, qui honor apud Anglos ſummus eſt, cooptet, annitemur; ne dubitamus de ſucceſſu, quanquam nobis paulum expectandum erit. Quoniam Chriſtiano Duci Brunsvicenſi is honor iam pridem promiſſus fuit, quod precibus ſuis Rex & Regina Bohemiæ impetrarunt. Rumor ſpargitur, eum huc venturum: non male fecerit, mea opinione, omni genere honoris & benevolentiæ excipietur & accumulabitur.

Quod controverſiam & diffidentiam, quæ inter Danum & Suecum enaſci videtur, attinet, Jacobus Spenſius Regem, vt ſe interponat, diligenter deorat, ego quoque in eandem curam incumbo. Sed neſcio, quæ fatalitas obſtet, quo minus hæc tanti momenti negotia, ea, qua par eſt, animi promtitudine & zelo, advertantur & accurentur. Qui Regis Jacobi conſilia & actiones in ſequiorem ferme partem accipiunt, putant, eum non affligi & cruciari, etiamſi eiusmodi inter amicos & vicinos diſſenſiones & contentiones interveniant. Hoc enim inde beneficium conſequi, vt illi ad ſe tanquam ad arbitrum ſequeſtrumque pacis recurrere neceſſe habeant: ipſe etiam tanto excuſatior ſit, ſi interea quieverit, & ab armis abſtinuerit. Roberto Anſtruthero in mandatis datum iri, vt Regis nomine interveniat, & quidquid controverſiarum ſit, componat, intelligimus. At hoc, quantum ad perſonam Anſtrutheri, non omnino placet noſtro Spenſio. Se enim timere ait, vt Suecus eum habeat ſuſpectum, & in partium ſtudio, cum apud Danum a teneris annis enutritum, & huic variis nominibus obſtrictum eſſe ſciat. Et ſane ſi Anſtrutherus componendis illis litibus vacare, & ultro citroque inter Reges commeare debet, quomodo & quando defungatur legatione, quam ad Principes Germaniæ obire juſſus eſt, Omnia uni prudenter committere non ſolent, maxime quando diverſis in locis negotia tractanda ſunt, quandoque mora noxam affert. Sed me conſolatur, quod parum intereſſe putem, iſta legatio differatur an acceleretur.

Niſi

Niſi enim prius cum Batauis fœdus percuſſum, claſſis in mare adducta, expeditio Mansfeldii in procinctu, mi-es ſub ſignis, & revera aliquid inchoatum ſit, ne ma-ium verterim, aut litivillitia Plauti æſtimarim, omnes llos cum tanto ſtrepitu, rumore & tumore decretas & pparatas legationes.

Habuimus hiſce diebus hic Erneſtum Vinarienſem, 'rincipem ab aureo ſeculo, cum fratre Bernhardo, in-ogniti eſſe volebant, ac propterea, nec Regem, nec 'rincipem allocuti ſunt, a me autem petierunt, vt ipſos, oſtquam fuerint digreſſi, apud vtrumque excuſarem, ion omiſſa ſalutatione & officiorum ſuorum delatione, uod feci. Simularunt, ſe tempeſtate in Angliam eie-tos fuiſſe, non habuiſſe animum huc veniendi, ac pro-nde nullas a Regina Eliſabetha, cum Haga diſcederent, iteras ad patrem et fratrem accepiſſe: ſine quibus Regi è ſiſtere religioni duxerint. Me ſtatim, ac Londinum ervenerunt, accedere dignati ſunt; deinde unum at-ue alterum in proximo habitantem amicum, ſed vt ixi more familiari et incognito. In meis ædibus occa-ionem habuerunt videndi Regis et Principis: eos enim rætereuntes, et ad Comitia in Senatum prodeuntes ſpectarunt.

Mansfeldius nuncium huc miſit, Müllerum cum mo-ente nomine & varis pedibus, ſignificatum Regem Gal-iæ valde approbare & gratam habere initam cum Re-ge Angliæ conventionem, de apparanda expeditione & transferendo in Germaniam bello: pollicitum eſſe, ſe ion defuturum occaſioni, ſed & quæ ſui officii ſint, & a è expectari poſſint, præſtiturum, modo rem videat ma-is inchoatam & paulo vlterius promotam. Jam Re-is Jacobi eſſe Mansfeldius ait, vt is progrediatur ad im-lendam ſtipulationem, & non modo Gallum exhorte-ur & animet, ſed ſibi etiam pecuniam conſtitutam re-præſentet, ut initium dilectus facere, tyronem conſcri-bere, et reipſa cunctis manifeſte declarare, rem eſſe in-hoatam et procedere pede conſtanti. Fi-

Digitized by Google

Filium tuum quod attinet, Vir Amplissime, cum Alberto Mortonio eius causſa diligenter & ſicut præcepiſti, egi. ait, ſe adhuc ignorare, an legati ordinarii munere in Gallia facturus ſit, propterea locum inter familiares ſuos Filio tuo promittere non poſſe: quocunque autem modo res eant, ſe curam habiturum illius. Ipſe ad te pluribus, ſicut mihi dixit, ſcribet: Antequam finiam, oportet, vt ad illa judicia & opiniones, quas homines curioſiores de Regis ſui conſiliis & actionibus formare & comminiſci ſolere ſuperius ſcripſi, addam, quod nuper ante paucos ſoles quidam inter Ordines inferioris ſenaculi auſus fuerit in publico confeſſu cum verba faceret, mentionem illius apud Eccleſiaſten ſententiæ verſ. 13. cap. IV. facere, quæ dicit, pauperem puerum, ſi ſapiens ſit, præſtare Rege ſene, qui fatuus ſit, & ſibi cavere neſciat. Hæc eſt ſane nimis inſolens & effrenis ac mordens loquendi licentia, ad quam tamen prudentiſſimus & moderatiſſimus Regum callide connivet, bene gnarus, talia ſpreta exoleſcere, ſi puniantur, agnita videri & gliſcere.

Jam, ni fallor, ſatis amplum & ſufficiens reſponſum ad tuas literas dedi: dejugo igitur nunc equos meos, ſatis viæ hoc die emenſi ſunt. Deum vero congregantem diſperſum populum Iſraëlis, rogo, ut nos cum omnibus noſtris incolumes præſtet, & aliquando tandem exauditis noſtris ſuſpiriis Patriæ dulciſſimæ reſtituat. Vale optime, Vir Optime. Dabam Londini VII. Idus Maj. CIↃ IↃ CXXIV. (a)

(a) *Multum diverſa eſt ab ea, quam Miegius & Nebelius habent, n. XXI. p. 308. ſeqq.*

Epiſtola XXIII.

Nobiliſſimus Vir Robertus Anſtrutherus hinc diſcedit, Vir ampliſſime; calamum igitur hac quoque occaſione arripere, & huic cartæ imprimere volui: ſed pauca ſcribam, quia ipſius relata omnia plenius cognoſce-

ſcetis. Juſſus enim eſt, & in eum finem litteris fiduciariis a Rege Jacobo ad Sereniſſimum Principem noſtrum ſcriptis, inſtructus eſt, vt nimirum cuncta vobiſcum communicet, veſtraque conſilia & ſententiam exquirat & auſcultet. Confidentiſſimus eſt, ſe ex animi ſententia negotia ſua apud Danum, aliosque Principes Germaniæ confecturum: quod tamen ego credere non poſſum, quamvis non verſius nec ſim Judæus Apella. Sæpe fit, vt homines creduli ſpe et perſuaſione quadam abrepti ſibi rem faciliorem & expeditiorem imaginentur, quam revera illa eſt. Poſtquam vero illam tentarunt & aggreſſi ſunt, tum experiuntur, quantum differant verba ab opere, opinio a ratione, ſpes a conſummatione. Tabulas conventionis & fœderis cum Batavis initum Relationem Richardi Weſtonii & Ducis Bukinghamiæ in comitiis factam Patribus de Hiſpanorum callidis tergiverſationibus & deluſionibus, quibus vſi fuerunt in circumveniendo ſene Jacobo, tam in negotio matrimonii, quam cauſa Palatinica, idem ille amicus noſter Anſtrutherus communicabit. Quod mihi ſane non eſt ingratum, quia amanuenſes mei a moleſtia & onere deſcribendi liberantur. Cras vel die Sabbathi, hoc eſt Saturni more Romano Batavorum legati hinc diſcedent, ſicut ipſimet mihi valedicenti ipſis dixerunt. Vale, Ampliſſime Vir, & me tui cultorem eſſe cenſe. Dabam Londini XIV. Kal. Quintil. clo Iocxxiv.

Epiſtola XXIV.

Jacobus Spenſius communis Amicus noſter ad Regem ſuum revertitur, is, Vir ampliſſime, in tranſitu vos Hagæ ſalutabit & compellabit, cuncta quæ in mandatis habet, vobis expoſiturus. Inter alia tibi confidenter loquetur de fœdere, quod in medium proponitur inter Danum, Suecum & Anglum percutiendum. Rationes quoque & argumenta, quibus probatur & deducitur, nihil eo excogitari poſſe ſalubrius, nihil magis neceſſarium,

rium, nihil rebus religionis & libertatis in Europa conducibilius, ex eodem amico intelliges. Non omittet præterea referre, quanta cura & ſtudio, obſervatis temporum momentis, annitemur promovere magnanima conſilia, & propoſitum Regis Sueciæ promittentis, ſe vires ſuas cum noſtrorum Principum viribus conjuncturum, & rebus in Germania labentibus, accepta a noſtratibus certa in menſem pecuniæ ſumma venturum. Quemadmodum vero ingentes tibi gratias ago, quod me tanquam expoſitum myſtagogus & conciliator in familiaritatem tanti tamque amici Viri, qualis eſt noſter Spenſius, qui tibi has tradet, introduxeris: ita velim, vt ad vos venienti æque gratias agas, quod me tam amanter & promte in ſacrarium amicitiæ receperit, & tanta benevolentia complexus ſit. Quamdiu hic fui, fide ſumma & diligentia non minore in eandem mecum curam promovendi Sereniſſimi tum ſui, tum noſtri, cauſſæque melioris emolumentum incubuit. Meretur igitur, vt etiam Rex Fridericus eum ſuo amore amplectatur, & benevolenti animi promtitudine ſibi magis ac magis devinciat. Jam vale, Vir ampliſſime, & me te in oculis gerere; crede. Dabam Londini XIII. Cal. Quintil. CIↃ IↃCXXIV.

Epiſtola XXV.

VItimas tuas vnas Idibus Junii, & alteras XIV. Kal. Quintil. ſcriptas bene redditas habui; nec dubito, quin etiam meæ interim ad te delatæ ſint. Longo vero reſponſo te non detinebo, quia in prioribus meis pleraque, quæ tangis, executus eram. In tuo equidem prudentiſſimo judicio acquieſco, quo ſtatuis, nulla alia ratione & via rebus noſtris adtritis & ad incitas redactis conſuli poſſe, quam armis & milite: verum enim vero vnde hunc, amabo, habebimus, quomodo parabimus, ex quo ſuſtentabimus? Opus enim eſt non parvo, ſed juſto, valido & numeroſo exercitu; qui omnibus rebus

ad

Digitized by Google

ad bellum diu continuandum neceſſariis ſit inſtructus, quique cladem paſſus ocyus reſtaurari & renovari poſſit. Tenues & temporariæ copiæ, auxilia aliunde emendicata, potentia viribus precariis ſubnixa, parum momenti ad rei ſummam conferent, imo in majores & inexplicatiores difficultates nos noſtramque cauſſam involvent, ſimul etiam, quæ pacata adhuc ſunt & amica, conturbabunt, nec tamen reſtitutionem Palatinatus promovebunt. Pecunia, quæ tamen nervus eſt rei gerendæ, vnde, quæſo, comparabitur? Si in Anglia aut Gallia fundamentum ponimus, næ pulcre ſpe noſtra fruſtrabimur. O ſicut meum auxilium! Scilicet Reges ſunt Aegyptiaci, quos arundineo Scipioni comparant Profetæ; cuius fiducia bellum Palæſtini ſuſcipiebant alacriter, ſed mox experti fuerunt, eum confractum non modo innitentibus nihil profuiſſe, ſed etiam manus eorum perterebraſſe. Sed ita comparati ſumus, vt ſemper reſpiciamus ad iſtos ambos in Anglia & Gallia Reges, nobisque expectatione & ſpe magni auxilii blandiamur:

Agricola ſemper dives annum in proximum.

Cæſarem comitia convocaturum & cauſſam Palatinam Ordinibus decidendam traditurum, rumor ſpargitur. Non dubito, quin is & Pontificii Electores ſua conſilia eo dirigant, quomodo Sereniſſimum Fridericum, communi Ordinum ſuffragio & approbatione a reconciliationis & reſtitutionis ſuæ ſpe removeant, & imperiali in comitiis rogato decreto, a ſucceſſione electoratus ipſum & ejus liberos in perpetuum excludant. Verum, quamdiu motus, tumultus, & bella in imperio gliſcunt, haud arbitror Ordinibus integrum fore, convenire & comitium ſolemne celebrare. Si Rex Jacobus nunc dicit, ſe ſolum tantæ moli ferendæ & Palatinatus reſtituendæ parem haud eſſe, neque ſine periculo propriorum regnorum tantum bellum ordiri poſſe: quid dicturum eſſe putas, ſi imperii Ordines vnanimi conſenſu Generum

rum damnaſſent, & declaraſſent, ſe contractis in vnum viribus bellum geſturos.

Contra exteros, qui Palatini Principis cauſſa quietem Germaniæ turbare præſumſerint? Nam ſi in comitiis cauſſa Palatinica dijudicatur & deciditur, tunc procul dubio hæc cominatio addetur, quod nimirum contra eum, qui ſententiam & deciſionẽ Ordinum impugnare & quietem Reip. in favorem condemnati & proſcripti convellere conatus fuerit, arma & bellum tanquam in hoſtem publicum & perduellem ſancitum ſit gerendum conſociatis omnium viribus. Sed ne ſimul miſeri ante tempus: ſperemus & confidamus, donec telum non ſit in nervo.

Vt plurima inter poculum ac labrum ſolet,
Vertiſſe fatum res agens mortalium.

Comes Briſtolius nondum ad affatum Regis admiſſus eſt: per conjugem aliquoties Regem interpellavit, & obnixe petiit audiri: quid tandem de illo, qui innocentiæ ſuæ clypeo ſe inniti & confidere dicit, fiet, ſuo tempore videbimus. Marchio Inojoſa Orator Hiſpanus hinc diſceſſit, nullis muneribus, nec ea, qua Rex Jacobus erga gentem iſtam in propatulo hactenus vti ſolebat, benevolentia cumulatus. Quid clanculum factum, neſcitur: de occultis enim non judicat Eccleſia. Rex Hiſpaniæ omnia dona & litteras, quas Infanta Maria ſponſa a Principe Carolo ſponſo acceperat, Oratori Britannico, qui Madridi eſt, vltro reſtituit, ne exprobrari poſſet, arrham matrimonii retinuiſſe. In locum legati Gallici Comitis Tillerii inopinato domum revocati, Marchio de Fiat ſuccenturiatus ſuccedit. Rex Jacobus bonum ſe omen ex ejus nomine capere dicit: futurum enim, vt Fiat & effectum ſortiatur, quod cum eo ratione matrimonii cum Galli ſorore contrahendi tranſigetur. Albertum Mortonium tua cauſſa iterum compellavi, & legendum exhibui, quod mihi illi ſignificandum ſcripſiſti. Reſpondit ſe nihil certi adhuc de ſua in Galliam legatione & profectione cognoſſe, ſe tui filii haud im-

me-

memorem futurum, quando tempus & facultatem vobis gratificandi fuerit nactus. Vide ſis, ne fiat theſaurus carbones, ſed vale, Vir Ampliſſime, & me tui cenſe eſſe ſtudioſum.

Epiſtola XXVI.

Illas, quas IV. Kal. Quintilis cum quibusdam Italicis litteris ad me dediſti & miſiſti, bene redditas habui, Vir Ampliſſime. Quod de bello inter Danum & Suecum exoriundo, niſi ſtatim præveniatur, innuis & mones, in animum demiſi, nec deero in occaſione cum Rege & purpuratis in eam ſententiam, quam promis, colloqui. In hac aula ſpargitur, ac ſi jam bellum incepiſſet, & Suecus Danum inopinato ſuperventu oppreſſiſſet, & magna parte regni depuliſſet. Deo autem armipotenti ſit gloria, quod res eo extremitatis nondum pervenerit, is ne ea perveniat, rogandus quidem eſt: ſed ſimul etiam opera a nobis adhibenda, vt ſemina diſcordiarum in ortu ſuo extinguantur & ſuffocentur. Quod gratius ſpectaculum hoſtibus, quid pernicioſus Reip. Chriſtianæ & religioni & libertati publicæ contingere poſſet, quam ſi ambo iſti reges Proteſtantes, & Septentrionis moderatores, inter ſe hoc tempore, quo Auſtriaci felici ſucceſſu tumidi, & victricibus copiis inſtructi conantur dominationem Europæ conſtabilire, collidantur? Ne vero timeas, vt Rex Jacobus bello iſti ſeſe immiſceat, & Dano auxilio ſit contra Suecum: fluctuans, & in neutram partem inclinans ſenis ingenium vel noſtra calamitate perdidicimus. Robertum Anſtruterum in partium ſtudiis eſſe, & plus nimis Dano favere, Sueci actionibus condemnatis & traductis, doles & conquereris: ſed nihil impedit: quilibet enim affectus ſui decempeda res & perſonas metitur: an non & idem nos interdum faciamus, ex nobis ſciſcitemur. Dies emollit ingeniorum feritatem. Qui credit, Jacobum arma ſumturum pro recuperando Palatinatu, næ ille omnium rerum imperitus eſt, & ſue occiſa minus ſapit. Ego ſa-

tis

tis hoc inculcavi, si quis aliud persuasus est, suo id credat periculo. Ii, qui rationes temporum et hominum examinarit, et diffidere in Epicharmi sententia noverunt, idem quod ego sentiunt. Exemplar litterarum, quas olim Rex Galliæ Henricus III. ad Electores & Ordines imperii scripsit, hic accipior: merentur sane, vt typis excudantur. Quis enim melius præsentem Reip. jamjam funditus perituræ faciem depinxerit? Quis planius et liberius dixerit, quid Galliæ Regem hoc perturbato Germaniæ statu deceat?

Cum Alberto Mortonio filii tui causa iterum egi: verum cum semper respondeat, se ipsum tibi scripturum, nolo homini, cuius ingenium mihi notum est, importunius obstrepere, et eadem, vt dicitur, chorda oberrare. Consulto feceris, si ipse ad Cunctatorem scripseris. Vale jam, ocelle Germaniæ, & me tua merita magni facere crede. Dabam Londini Non. Quintil. clɔ lɔ cxxiv.

Epistola XXVII.

Relationem accuratam, quam in gratiam Sereniſſimæ Viduæ Electricis Palatinæ contexi, tibi, Vir ampliſſime, inſpiciendam et relegendam mitto. Ex ea, ni me fallit ratio, hodiernum in hoc regno ſtatum tam conſiliorum, quam aliarum rerum præteritarum & futurarum, cognoſcere poteris. Veritati autem vbique litavi, & ex conſcientiæ meæ ductu cuncta ſine adfectu deſcripſi; olim poſteritatis, quæ vnicuique ſuum tribuit, intererit, vt hæc talia penitus cognoſcantur. Sereniſſimo Principi noſtro ſcriptum, vel potius libellum famoſum Legatorum Hiſpanicorum contra Ducem Bukinghamiæ Jacobo Regi oblatum, miſi: quæſo, & ipſe tu illum inſpicias et expendas. Cenſuram & judicium meum jam perſcribere non poſſum, quanquam multa habeam animadvertenda, & vobis, qui arcana & tropica huius aulæ non ita bene comperta habetis, exponenda: fortaſſis alio tempore, cum plus otii habuero, fiet.

Quæ

Quæ consilia agitentur in colloquiis matrimonii, & arctioris confœderationis inter regna Angliæ & Galliæ contrahendæ, cognoſces ex iis, quæ ad eundem Sereniſſimum Regem noſtrum perſcripſi: inde velut per tranſennam iudicabis, quid ſentiendum de conſiliis iſtis. Vno verbo, Galli ſunt perſuaſiſſimi, Jacobum Regem haud ſincere, ſed omnia ſimulate, agere, nec ex animo cupere, vel Palatinatus reſtitutionem promotam, vel matrimonium conſummatum, vel arctius fœdus percuſſum. Quid inde igitur nobis ſperandum? iterum ad eundem lapidem offendemus. Matrimonii nunquam conſummandi colloquium, fundamentum hactenus fuit noſtræ ſpei, nunc aliud non minus incertum, ſi Regis Jacobi interiorem mentem inſpicis, quanquam inter partes contrahentes adſit conſenſus & voluntas, nova nos fiducia replere, & ſilentium noſtrum vanæ ſpei furfure paſcere debet. O miſeri, in quo collocamus ſpem noſtram! interimne compreſſis ſemper manibus ſedebimus, & nobis eripi patiemur, quod vnum miſeris reſtat, nullam ſperare ſalutem?

Electorem Moguntinum, & legatum Cæſaris Schleiſſingæ Ducem Saxoniæ pulcris & amplis, ſed fallacibus & verſutis conditionibus pacis propoſitis, invitare & perſuadere, vt Bavarum agnoſcat pro Electore, accepimus. Quin Saxo aſſenſum ſit præbiturus, & excluſionem Friderici Regis e collegio ſeptemvirali approbaturus, niſi jam pridem, quod ego credo, approbarit, quanquam Bavarum tamen nondum publice & ſolenniter agnominet & ſalutet collegam vel Electorem, non dubito. Chriſtianum Anhaltinum a Cæſare in priſtinum gratiæ & honoris gradum receptum haud vulgari honore affectum fuiſſe ſcribunt, & addunt eum inſtrumentum, jam pacis, ſicut olim turbarum fuerit, futurum; idque Cæſarem ab eo petiiſſe. Alia non occurrunt ſcribenda. Vale, Vir ampliſſime. Dabam Londini Pridie Idus Quintil. clo Io c xxiv.

Epiſtola XXVIII.

Quid ſcribam, neſcio; ita hoc aridiſſimo tempore omnia exaruerunt, vt nihil reſtet ſcriptione dignum. Adhæc conſilia ex alio & peregrino fonte, nempe Gallico haurienda ſunt: ſic, ut ibi aqua ſcaturit & fluit: ita nobis propinatur & bibenda eſt. Oratorem Gallicum, Marchionem de Fiat affatus ſum, Virum ambidextrum, tanquam gladium delphicum: natum certe, & moribus, ore, natura ad Aulam, & ad hodierna Principum ingenia factum & aptum. Eum, vt dixi, affatus duntaxat ſum. Nec enim licuit, aut decens fuiſſet, de rebus gravioribus & negotiis publicis in primo præſertim congreſſu, ſerius colloqui. τὸ πρέπον, (decorum) obſervandum erat: in ſecunda, tertia, & ſequentibus admiſſionibus, occaſionem quæram de omnibus accurate & diligenter, adhibita ſolerti circumſpectione, loquendi & diſſerendi, & quantum eius fieri poterit, penitiora ſcrutandi. Vicinus ille meus eſt, ex adverſo in ædibus Sommerſethanis ſplendidiſſimis hoſpitans. Interdum muſca ero, ſicut moris hodie eſt, acceſſurus ad ejus cereales dapes. Sumtu enim publico alitur, & quidem tam magnifice & largiter, vt affluat opimis dapibus & opulentia vtriusque clementi, terræ & maris, vt Symmachus ait, pollucibilem victum miniſtret. Cum vero ad ipſum acciſſem, eo honore, qui mihi propter munus meum competit, excepit, prolixe de ſuo, ſuique Regis, in nos, noſtramque cauſam affectu, proteſtatus, ſeque in mandatis habere dicebat, curam, quantam poſſit maximam, gereret, & ſatageret, quomodo Reſtitutio Palatinatus, junctis amborum Regum conſiliis, & ope, promoveri & obtineri queat. Sereniſſimos noſtros Principes nomine & titulo regio ſubinde cohoneſtabat, & appellitabat. Legatus Regis Jacobi Ordinarius, Herbertus, ex Gallia domum reverſus eſt: quis ei ſucceſſurus ſit in officio, an Albertus Mortonius, vel alius ſcire nondum potui. Per legatos interea extraordinarios procul dubio cauſ-

cauſſam matrimonii pertractabunt, qua ad finem perducta, ordinarium iterum deſtinabunt. Ceterum vale, Vir Ampliſſime, & me tui cultorem cenſe. Dabam Londini XII. Cal. Sextil. clɔ Iɔ c xxiv.

Epiſtola XXIX.

Tuas Idibus Sextilibus exaratas, Vir Ampliſſime, bene redditas habui; parvum eis reſponſum refribuam hoc ipſo articulo temporis, quo accepi, nimirum antequam equos conſcendam, & ad Regem, venationi pro more ſuo indulgentem, & procul hinc profectum, abeam. In procinctu enim conſtitutus ſum; & ſonipedes inſtrati ante fores mearum ædium ſtant, & ſpumantia frena mandunt, vt cum Poëta loquar. Optaſſem autem, vt paulo citius tuas accepiſſem; videlicet ante delicias illas venaticas, quas Rex non libenter ſibi a quoquam interrumpi patitur. Quidquid tamen ſit, non committam, vt aliquid in mea diligentia & fide prætermiſſum dici queat. Ad affatum Regis admiſſus, dicam quæ in rem erunt: omnes ſane moleſtias citra moleſtiam & alacriter exantlabo in negotio tanti momenti. Quid in Gallia Jacobus Careolius agat in cauſſa matrimonii, nos medius fidius latet. Ajunt in fronte januæ domus, in qua hoſpitatur Lutetiæ Pariſiorum, adſcriptum fuiſſe carbonibus ab ignota manu hanc ſententiam: Vigilate, & orate, neſcitis enim horam & diem, quo venturus ſit filius hominis. In quem finem illud factum ſit, Delio natatore vel Oedipo conjectore opus eſt: ego ſane conjicere non poſſum, quanquam haud carere myſterio credam.

Rex Jacobus admodum ſuccenſet Batavis, quod tam crudeliter & injuſte, ſicut Angli referunt, & interpretantur, negotiatores populares Anglos in inſula Amboina tractarint, & per carnificem ſub ſpecie juſtitiæ occiderint. Rationem ille iam & vindictam expoſcit; ni ſatisfiat, ad vim, & pignorationis ac clarigationis jura recurrere vult.

In Bukinghamiæ Duce, quemadmodum ex tuis deprehendo, magnam adhuc ponitis ſpem & fiduciam: ſed fallimini profecto, & decipimini. Res ſuas privatas, more omnium gratioſorum, agit.

Ad nutum & obſequium Regis, a quo paulum exerravit, iterum totum ſe componit, & ejus conſilia & mentem præfert cunctis aliis conſiderationibus, eaque tamen ad emolumentum ſuum callide detorquet, ſperans, ſe in priſtinæ gratiæ & amoris ſinum receptum iri. Vereor, ne ſit tandem Trojæ & patriæ communis Erynnis. Hæc confidenter & ſub fide ſilentii ad veſtri informationem ſcribo: quæſo ſis, ne reſciſcant illi, qui cuncta etiam bono animo dicta interpretantur in malam partem.

Quid vero ſperas, me apud regem affecturum? Nam pro explorato & cognito habeo, eum ab omni belli expeditione alienum eſſe, & Bukinghamium cum aſſeclis, quo evidentiori nota fidem patrono comprobet, bellum germanicum diſſuadere, hoc præſertim rerum ſtatu, quo periculoſiſſimum regno regique fore obtendunt, ſi arma caperet, antequam de Regis Galliæ ſocietate certus eſſet. Samuel Weiſſius, qui te reſalutat, hinc re infecta diſcedit: ipſi vulgatum illud occini poteſt; Turpe eſt & manſiſſe diu, vacuumque rediſſe. Oportet vt Mansfeldius robuſtius telum e validore catapulta emittat et detorqueat, ſi Jacobi animum permovere voluerit. Albertum Mortonium ſatis magno titulo cohoneſtaveris, ſi Nobiliſſimum et ampliſſimum in tuis ad eum litteris compellitaveris. Plura non occurrunt, nec tempus permittit. Vale ocelle Germaniæ. Dabam Londini V. Kal. Sextil. cIↃ IↃ c xx IV.

Epiſtola XXX.

Ex litteris meis, quod ad Sereniſſimum noſtrum Regem ſcripturio, cognoſces, quid apud Regem Jacobum effecerim. Inde novo iterum indicio animadvertes, quid ab iſto Principe, qui recreationes ſuas ſerioribus turbari neutiquam ſuſtinet, ſperandum ſit.

In

In transitu per Cantabrigiam, vt hoc obiter adscribam, iquidem nihil aliud occurrit, Vicecancellarium Academiæ allocutus sum, et inter cetera, quæ vario sermone niscuimus, ei studiose commendavi nostrum Rutilium, ıdolescentem probum et morigerum, vti scis, et rogavi, ʼt apud se litteras commendatitias, quas Serenissimus Rex Fridericus in ejus gratiam scripserit, pondus habere ineret; ille omne quidem studium et operam pollicius est, sed hoc genus commendationis, addebat, novum est, et in nostra Academia inauditum. At & Palatinaum, subjiciebam ego ex abrupto, destructum et exciium esse, novum quoque est & inauditum. Quid enim nirus dici, quid magis insolens esse potest, quam nos, qui olim receptatores exulum fuimus, nunc ipsos esse exules; qui quondam vestratibus, ob constantiam in vera religione a patria extorribus actis, asylum præbuimus, jam apud vos asylum quærere? Vicissitudinem rerum veremini, & pii estote erga eos, qui vestra ope sublevari petunt, ne per austeritatem, iram Dei, et eiusdem fortunæ pœnam in vos provocetis. His dictis homo rubore suffusus conticuit & obmutuit, sicut piscis, qui turbato stagno, se abscondit in profundum. Plura scribere non possum: nam nunc demum ex itinere illo meo tædioso, & fastidioso Londinum revertor, & equis frena detrahere jubeo. Dabam raptim IV. Non. Sextil. clɔ Iɔ cxxiv.

Epistola XXXI.

Vltimas tuas III. Non. Sextil. scriptas, Vir Amplissime, bene accepi: quin & meas redditas habueris, non equidem dubito. Quid de matrimonio Gallico judicandum sit, ex diversis meis ad Serenissimum litteris cognosces, alia addere non possum. Adhuc

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

Duo inprimis sunt, quæ me attonitum & ambigentem ac timentem reddunt. Primum quod matrimonium

illud prius concludendum ſit, quam fœdus et conjunctio pro Reip. incolumitate ineunda. Hæc, ſi recto tramite & ſecundum rationem res procederent, præire; illud tanquam conſequens ſequi deberet. Prius enim amicitiæ & fœdera inter Principes tractari & coire, ſalusque Reip. curæ eſſe ſolet, ad quam omnia conſilia & actiones ſunt dirigenda; matrimonia vero tanquam ſigilla ſunt, quæ in confirmationem obſervandorum pectorum contrahi conſueverunt. Sed hic contrarium fieri videmus. Nihil aliud hoc eſt, quam velle tabellas obſignare, antequam conditiones ſcriptæ ſint. Præpoſterus ille ordo, cujus procul dubio Rex Jacobus autor eſt, felicem ſucceſſum ominari haud ſinit. Quaſi vero Reip. ſtatus talis eſſet, vt nullum damnum ab inutili mora ei accidere poſſet? Hoc habent nimirum Principes et Proceres in conſuetudine, ut civile et honorificum putent, indulgere procraſtinationibus, tricis, recreationibus, voluptatibus, rebus maxime neceſſariis tempori ſequeſtratis. Alterum, quod me commovet, eſt, quod animadvertam ambos iſtos Reges, Gallum & Anglum, in rebus Germaniam tangentibus nihil agere communicato conſilio, ſed utrumque ſeparatim attendere, quæ ſibi privatim vtilia & commoda videntur. Conditiones pacis, quas Pontificios ad pacandum Germaniæ ſtatum in medium proponere vulgo ferunt, vidi & legi: eas fictitias & falſas eſſe reor, et vel ex eo argumentor, quod inter alia caveatur & præſcribatur, Philippum Ludovicum, fratrem Sereniſſimi Friderici, poſt mortem Bavari in dignitatem Septemviralem ſuccedere debere. De civitate Frankendalia noſtri purpurati capita conferunt, & hærent, non ſecus ac mus in pice, aut avicula in pedicis, vel muſca in tela aranea. Quid ego conſilii promere & ſuggerere poſſem, ex me identidem quærunt: mihi non liquere, reſpondeo, nihilominus parvo libello conſignari rationes & argumenta, quæ in conſideratione habenda eſſe judicabam, illa tu inſpicere & mihi tuum deſuper

ber iudicium dicere potes. Haud ſcio, an cuncta approbaturus ſis: ſi quid peccatum deprehendes, ſtudio & zelo boni publici peccatum eſſe ſtatues. Negotium illud certe labyrinthus eſt inextricabilior illo Cretenſi; nullus enim inde datur exitus, nec filum Ariadnes quidquam adjuvat. Sed vale, mi amiciſſime Camerari, amicorum apex. Dabam V. Idus Sextil. cIↃ IↃ cxxIv.

Epiſtola XXXII.

Vix ſcripſeram ad te priores meas, Vir Ampliſſime, ecce trinas tuas eodem temporis articulo redditas habui: illas tertio Nonarum, has V. Iduum, vltimas & quidem geminas Idibus Sextilibus exaratas. Omnium veſtigia preſſo pede legam, & diſtincte, paucis tamen, ad potiſſima rerum capita reſponſum dimetiar. Et primo quidem, quod litteras meas ad Jacobum Spenſium apud te retinueris, haud conſultum arbitratus eas transmittere, quia liberiore calamo confuſum rerum & conſiliorum in hoc regno ſtatum deſcriberent, & verendum eſſet, ne Rex Sueciæ illo cognito conturbaretur, & earum ſibi ab Anglo in communi cauſſa relevanda promitteret, me nonnihil, vt verum fatear, commovit. Sed, ne vel imprudentiæ me accuſare, vel de mea tot indiciis & teſtimoniis obfirmata fide dubitare poſſis, velim tibi in mentem revoces, quæ Suecus conſilia animo volvat & præmeditetur. Nimirum in ſpem erectus eſt, fore aliquando, nimirum poſtquam colloquia matrimonii cum Hiſpano et Gallo, prout exoptat, abrupta & irrita fuerint, vt conjugis ſuæ ſoror, quam ſolam hodie in Germania dignam putat, quæ Carolo Principi elocetur, petatur in vxorem & ſponſam. Eam in rem mandata dudum dederat Jacobo Spenſio, et juſſit eum circumſpecte & dextre occaſiones obſervare, & ad conſilium flectere. Ea re tota mecum fideliter communicata rogavit, vt et ego ipſellam meam conſociarem, et proptcrea vel ad ſe, vel ad ipſum Regem diligenter, libere, et vere ſcriberem et referrem, quidquid quovis tempore fieri animadverte-

rem, ſpernandumve & judicandum eſſe cenſerem de progreſſu et exitu colloquii de matrimonio cum Gallo. Hanc ob cauſſam neceſſe duxi, Jacobum Spenſium candide et ſincere de omnibus pro captu meo informare. Quid vero melius vtiliusve facere potui, quam veritatem dicere, et Suecum amicosque noſtros a falſa opinione et errore liberare? Deinde ſcis, ni fallor, mi Camerari, Suecum brevi magni aliquid, quod in communem Reip. ſalutem decretum eſt, tentaturum et aggreſſurum: at ſi viderit, et ſpem conceperit, fore, vt Jacobus Rex ad pecuniam in iſtam expeditionem contribuendam permoveri poſſit, veriſimile eſt, procraſtinaturum et exſpectaturum, donec id fiat: interim occaſione agendi amiſſa, et conſiliis ab hoſtibus cognitis, et præventis, egregii ejus auſus in fumum abibunt. Verum, ſi nullam ab Anglo ſpem ſocietatis et conniſus adeſſe cognoverit, nihilminus in propoſito pro magnanimitale ſua progreſſurus, nec neglecturus eſt, ceteras occaſiones, quæ premunt, impellunt, ſtimulant. Felicius, promtius, et majore cum honore res geret, quando ad ſe ſolum, minime vero ad Anglum aliosque reſpexerit. Puella illa in fabulis, dum ad aureolum pomum oculos deflexit, decepta et victa ſuccubuit, ni feciſſet, victrix ſine dubio exſtitiſſet: ſic Principes dum in amicitia & conjunctione aliorum ſpem, fundamentumque rerum gerendarum ponunt, plerumque magno ſuo malo falluntur. Ob hanc etiam cauſſam libere dicendum erat, quid Suecus a Jacobo poſſet in ſui gratiam expectare, hoc eſt, nihil, præter verba, legationes, promiſſa, procraſtinationes, et effugia. Adhæc Spenſio noſtro natura, ingenium, mores Jacobi Regis, tum rerum in hoc regno ſtatus ita cognita ſunt, vt, ſi quid inflatius et jactantius ſcriberem, ilico fidem meam proſtituerem. Ne dicam jam alios non minus, quam me veritatem perſcribere. Si igitur præfidentiori calamo majora et ampliora omnia facerem, quam Rex Sueciæ et Jacobus Spenſius noverunt eſſe, næ ſuſpicionem vel adulationis, vel mendacii, vel impoſturæ incurrerem. Et quid ſane rebus

bus noſtris magis obfuit, quam quod apud amicos res noſtras lætiores, certiores, et ſtabiliores fecerimus? Ferdinandum Imp. nihil æque juvit, quam quod ſuas res apud Hiſpanum, Papam, et ceteros ſocios fere deſperatas, apud hoſtes vero lætas proclamavit. Et hoc Eggenbergiú Baronem, primarium Cæſaris conſiliariú, confeſſum eſſe, ipſe audivi. Apud amicos & fœderatos, quorum ſine periculo vinci ſubiugarique non poſſumus, nihil celandum, diſſimulandum, & palliandum: ſed diſcrimina & mala, quæ vrgeant, veris coloribus depingenda, & ſcapham ſcaphã dicendam eſſe, Politicorum monitu, & Mithridatis exemplo diſcimus, qui Arſacem Regem rebus ſecundis et pace fruentem, in ſocietatem belli tracturus & illigaturus nullo majore argumento vſus eſt, quam quod diceret res ſuas parum proſperas, ſi vera æſtumare Arſaces vellet, eum maxime hortari, Conſiderari enim debere, vtrum, ſe oppreſſo, ipſe firmiorem ſe ad reſiſtendum, an finem belli futurum putet. Quare? vt nimirum ii, quorum interſit, auxilia in tempore ferre, & præſto eſſe valeant, ipſa neceſſitate, & ſui præſervandi cauſſa admoniti & compulſi. Quamdiu enim hi, aliquid virium & ſpei, in Amico, bello involuto, ſupereſſe perſuaſi ſunt, eum ſibi ipſi haud defuturum eſſe, imo ſatis adhuc potentia ad ſubſiſtendum, & ad continuanda arma habere in parato, arbitrantur. Hinc fit, vt armis abſtineant, aliorum ſe laboribus tutos fore rati. Sic ſcribunt Regem Galliæ pœnitere, quod non citius rebus Germaniæ concidentibus manum admoverit; ſed florentiores eas & firmiores credens, cum ſuo periculo conquieverit. Hæc idcirco pluribus exſequor, vt videatis, me non tam inconſulte & promiſcue, ad Amicos ſcribere; ſed cauſſas graves mei inſtituti habere, omniaque mea conſilia ad ſcopum boni publici directa eſſe.

De compoſitionis negotio cum Bavaro nihil amplius dicam. Quod vero illud, quamvis dolis & fraudibus circumſeptum, haud tamen omnino rejiciendum judicaverim, rationes minime contemnendas adducere poſ-

ſem. Inter quas non poſtrema hæc eſt, quod perſuaſus fuerim, Saxonem & Brandenburgicum, inſtituto cum Bavaro compoſitionis colloquio, excuſationem habituros, ut aſſenſum ſuum, in agnoſcendo pro Electore Bavaro, ſaltem differant, donec viderint, qui exitus eſſet futurus illius colloquii. In apographo adjuncto vide, ſis, quid monachus noſter Seraphicus huc ad quendam virum ſummatem de ſimulata illa ſua, quam hic obtruſit, & velut inſtitor venum expoſuit, negotiatione. O impudentia! o fraus!

Vt Rex Jacobus ad bellum pro recuperando Palatinatu movendum permoveatur, aut ad ſumtus in illud ſubminiſtrandos; Hercule Celtico & perſuaſore Theſſalo opus eſt. Euphormio cicada, aut ego nihil effecerimus. Vel inde documentum, quod ſperandum ſit, capite, quod civitatem Frankendaliam, finito nunc ſequeſtrationis tempore, tam turpiter deſeri & deſtitui videtis, & quidem nullam aliam ob cauſſam, quam quod ſervari non poſſit absque milite & armis.

Quæ de Sueco eiusque copiis, deque oportunitate invadendi Sileſiam, & de neceſſitate ac vtilitate fœdus & ſocietatem cum Daniæ Principe ineundi ſæpius ſuggeſſiſti, illa monere, inculcare, & vrgere non omiſi: imo & hoc addidi, ſi Angli parum pecuniæ modo repræſentare vellent, vt tribunus militum, Michaël Obertrautius, flos noſtræ nobilitatis, aliquod turmos in omnem occaſionem excubantes & paratos conſcribere, & ſub ſignis in procinctu habere poſſit, Reipublice non malum conſiliatum iri. Sed quid noſtri purpurati reſpondeant, amamabo, audi. Dicunt, res noſtras nullo fundamento inſiſtere, ſed inſtar flammæ eſſe, quæ in ſtramine accenſo ſubito & apparenter conſurgat, cito autem divaneſcat & evaporet, Et licet repræſentatas habeamus illas, quas petimus pecunias, nihil tamen nos effecturos. Superioribus enim annis, cum inſtructi eſſemus exercitu, & aliis ad bellum neceſſariis, ſatis declaraſſe, quid valeamus, quid poſſimus. In felices nos eſſe, timidos & parum

rum providos, & conſtantes, inſuper imbellem militem, & ad fugam, quam ad pugnam promtiorem, & duces inexpertes, avaros, & direptores habere. Verum ſi Rex magnæ Britanniæ bellum ſuis viribus & conſiliis moverit, quod futurum ſomniant, poſtquam res regni conſtabiliverit, & cuncta ad bellum requiſita proſpexerit, tum res certo quippe fundamento innixas, aliter & felicius ſucceſſuras. Solos ſcilicet Anglos a fato deſtinatos, ſolos viros fortes eſſe, qui res collapſas reſtituere, Hiſpanum in ordinem cogere, Palatinatum recuperare valeant: cæteros volitare tanquam vmbras.

Perſuades tibi purpuratos noſtros, exemplo & impulſu Gallorum excitatiores nunc fore, & maiorem, quam hactenus, dum immerſi Hiſpanico veterno fuerunt, Reip. curam habituros: ſed falleris, mi Camerari. Non enim credere potes, nec ego tibi ediſſero, quantum a ſerioribus abhorreant, dediti deliciis & voluptatibus corporis. Si vnum aut alterum e Proceribus accedo, & de Rep. ſermonem auſpicor, ringunt, oculos & aures avertunt, vultum & ſupercilia contrahunt. Cum heri, ruri, in dumo cuiusdam optimatis occaſionem ſæpius captarem de civitatis Frankendaliæ negotio, quod homini commendatum eſſe noveram, deque aliis rebus publicam ſalutem competentibus, colloquendi, illa ſubinde interrumpere, & ad amicos converſus de rebus levioribus blaterare cœpit. Mecum tunc erat Stephanus Leſurius, vir optimus, & Reip. amantiſſimus: is non minus, quam ego indignabatur.

Quid de Principe Carolo, deque eius animo & conſiliis ſentiendum ſit, quæris, vno verbo tibi dicam, filius eſt & ſubditus: Patri & Regi morem gerere tenetur, & obſequii gloria ei ſe approbare. Indoles ipſius proba eſt & obſequens. Suo marte & ductu non multum poteſt; niſi Patris accedat conſenſus, inſtar avis eſt, quæ vna ala, vt Celtæ proverbio dicunt, ſubvolare conatur. Quæ ei inculcari & imprimi conſultum judicatis; ea per alios, vt maiorem fidem habeant, peragi curo. Nobilem virum,

rum, qui mihi tuas attulit, vidi: missus venit a Christiano Brunsvigo, quem ipsum vellem huc venisse. Illius virilior & audacior adspectus, & persuasio martialis, aliquod fortasse momentum ad perpellendum Regem adferre posset. Vis autem, vt dicam, quæ Angli promiscue de eo sentiunt & loquuntur? improvidum & præcipitem juvenem vocant, cui ducatus, & administratio belli non sit committenda. Pro Barone Winnenbergico, quem tu & Serenissimus Princeps noster mihi tantopere commendatis, feci sane, quantum hactenus potui, nec omittam imposterum etiam facere, quæ mearum erunt virium. Sed vereor, vt oleum & operam perdam. Atque hæc hactenus. Vale quam bene & feliciter, Vir Amplissime. Dabam Londini XV. Kalend. Septembr. CIↃ IↃC XXIV.

Epistola XXXIII.

Ex aula, Vir Amplissime, quo hisce diebus profectus eram, negotiorum tibi cognitorum caussa, reversus sum: quid egerim et effecerim, id meis ad Serenissimum nostrum literis discere potes. Vrbem Frankendaliam, omni humana ope, destitutam et orbam, statuo et conspicio: ipsa salus et prudentia eam asserere et vindicare non potest. In manibus enim hostis est, non nisi armata manu illi eripienda. Et vel hinc apparet, quam sapienter fecerint illi, qui vrbem hosti sequestrarunt, nobis omnibus indignantibus et reclamantibus. Quid autem restat infaustis et sola fide, sicut olim Saguntini, perituris civibus, quam vt eligant ex duobus malis necessariis alterutrum, vtrum nempe in potestate hostis cum aliquibus conditionibus et pactis manere, sicut spes est fore, si se cæsari vel Hispano in tempore submiserint, an sine conditionibus misericordiæ et voluntati hostis se dedere velint, quod continget, si diem et tempus sequestrationis elabi siverint, antequam paciſci inceperint. Quid ab Anglia spei consequi, et quæ auxilia exspectare possint et debeant, jam probe norunt: certe miseri homines sibi nihil reliquum vident, nisi vt supplices

fiant

fiant Cæsari, et obsecrent, petantque recipi in fidem et obedientiam sub æquis moderatisque conditionibus. Sed hoc in æternum opprobrium et ignominiam ministrorum Anglicorum redundabit. Posteritas ipsa eos exsecrabitur et detestabitur, quod tam turpiter et ignaviter deseruerint et prodiderint suos clientes, in patrocinium nolentes volentes receptos: quod depositum et pignus tam carum et pretiosum redimere, et sequestro liberare neglexerint. Indignatio et dolor plura agere non sinit. Si alia quoque scribere adgrederer, non minus stomacharer: præstat igitur tacere, quam affectui frena laxare. Vita potius et preces fundamus, ut Deus ὁ ὑπερασπιστὴς καὶ σωτὴρ σωτηρίας, ab alto spiritum prudentiæ, fortitudinis et pii zeli, donet Regibus, quibus competit res collapsas restituere, et ecclesiæ laboranti, et in discrimine positæ opem ferre, vt ea consilia præferant, eas vias eligant, per quas communem salutem, libertatem, et rem religionis constabilire, augere et præservare ab exitio possent. Vale, Vir integerrime, et me te in oculis ferre crede. Dabam Londini Prid. Kal. Sept. cIↃ IↃC XXIV.

Epistola XXXIV.

Quas mihi scripsisti et transmisisti per nobilem, qui evangelia de felici Reginæ nostræ partu, Vir Amplissime, tardius accepi, sicut fieri solet, quando illi, nisi interpellati reeddere consueverunt literas, deferunt amicorum epistolas. Per tabelliones, quorum munus id est, semper citius eas accipimus. Quod vero me in tuis illis tantopere commendas, laudas et extollis, quod tanto cum ardore et zelo, cumque tanta diligentia et constantia bono publico invigilem, et res Serenissimi nostri mihi curæ esse sinam, illud me hortatur et excitat, vt indefesse et gnaviter in isto instituto pergam, omnesque vires contendam, vt continuis experimentis constet, quantum cupiam Reip. salutem defensam et assertam. Qui monet, vt facias, quod jam facis, ille monendo laudat et hortatu comprobat actu suo, Mansfeldius ex-

exercitum et copias brevi habet collectas et in procinctu. Ne igitur intempestiva et nihil profutura oppositione remoram injiciamus. Committenda Deo sunt, quæ corrigere non sunt nostrarum virium. Perspicio enim jam omnes plebem & populum favere conatibus, consiliis, & inceptis Mansfeldii: eaque promota habere velle. Pruritus ille in bellum & præceps fervor capessendi arma, non caret omine & mala scæva. Vtinam vtinam expeditio illo maturiori consilio regeretur! Nisi enim aliter res administretur & conducatur, felicem & secundum successum haud sperare licet. Sed quid nos, vt id fiat, præstare possumus? Monita & suggestiones nostræ locum non inveniunt; verum vilipenduntur & explodunt. Simus igitur contenti hoc Catone, & arripiamus, quæ dantur & obtruduntur, talia, qualia, offeruntur. Nostro arbitrio & ductu nobis non licet fingere & formare homines, qui in consiliis & sententiis suis obstinati callum obdurarunt. Levius fit patientia. Quidquid corrigere est nefas. Jacobus quidem cuncta hactenus effugia, quibus pacta conventa cum Mansfeldio vel retardaret, vel eluderet, circumspexit, & sub latibulis gallicis latibula quæsivit: jam se videns incassum laborasse propius accedit, & pactiones adimplere paratus est. Vt vero Comes Mansfeldius sibi a Sereniſſimo nostro quosdam fidos amicos & familiares adjungi patiatur, obtinui sine difficultate. Sed an Bacchosium nostrum tam libenter inter suos domesticos ascisceret velit, non nihil ambigo. Non enim vsque adeo bene sentit de hujus fratre, a cujus ingenio æstimat illius. Sed annitar tamen, & efficiam, vt homini, cui aliena culpa & mores imputandi non sunt, de commodo loco & munere apud ipsum prospiciatur. Matrimonii cum Galla contrahendi colloquium quod attinet, illud eo adductum est, vt brevi hic habituri simus Villaclerium regium scribam et silentiarium e Gallia, qui tabulas connubiales subscribi, & sigillis impressis communiri, atque solemni per juramentum conceptis verbis jurandum

lum ſtabilienda ratihabitione confirmari petet. Idem & majora in matrimonii cum Hiſpana ineundi colloquio ipſi oculis noſtris vidimus: nec tamen propterea celebratæ ſunt nuptiæ, aut domi ſecuta eſt. Quæ de præclaro invicti Regis Guſtavi propoſito, deque menſtrui ei ad alendas copias pecunia procuranda mones, valde dubito, an conſultum ſit hic in Anglia, hoc præſertim rerum ſtatu, proponere: tum quia nulla eam in rem mandata a Sereniſſimo noſtro habeo, tum, quia mihi res nondum ita matura & certa eſſe videtur, denique ne Comitis - - Cætera deſunt.

Epiſtola XXXV.

Ludovico Camerario Oratori Suecico.

Propter duplicem cauſſam his te literis, Orator illuſtriſſime, adire, et velut ex itinere ſalutare operæ pretium duxi. Primo vt tibi iterum, & antequam me Oceano committam, & vltimos, vt ita dicam, fines orbis noſtri terrarum egrediar, valedicerem, & quidem ſcripto, ſicut antea coram feci lingua. Optaſſem vero nobis Dordracenæ affuiſſes, vt graviſſimis tuis admonitionibus & præceptis Sereniſſimum noſtrum Principem, qui ſi vnquam, hoc maxime tempore, quo ſui juris factus in hanc mundi ſpectantis ſcenam aſcendit, tot juvenum (qui ſæpe præcipitia, ſibi invicem contraria, parumque excocta & tuta ſuadere, & flexibilem auſcultantis animum transverſum rapere conſueverunt,) ſodalitio circumvallatus, opus habet exhortatore & rectore tui ſimili, emunire, inſtruere, & ceu aliquo prophylactico amuleto providere potuiſſes. Suaſus & commonefactiones eiusmodi a gravibus viris, quorum autoritas et reverentia loco magni argumenti eſt, profectæ, & adoleſcentibus, aliquid egregii operis ſuſcepturis, aut aliud vitæ genus auſpicaturis, vel peregre abeuntibus inſinuatæ, ſuum habere pondus, memoriæque tenacius inſidere ſolent. Si mihi compertum fuiſſet, Electorem Dordracenæ integrum diem ſubſtiturum fuiſſe, ſicut ſane ſub-

ſubſtitit, te vtique reddidiſſem certiorem, vt ad nos excurriſſes, quod profecto commode facere potuiſſes. Sed fluctuatio et inconſtantia in conſiliis, quæ non capiuntur, ſed rapiuntur juvenili modo, et ad omnem ex obliquo venientem ſuggeſtionem mutantur, nequaquam permiſit aliquid certi ſcribere. Nam cum Dordracenam circa crepuſculum veſpertinum veniſſemus, protinus decretum, nobis quidem inconſultis, et contrarium, ſi conſiliati fuiſſemus, ſuaſuris, altero die diſcedendum eſſe in Zelandiam. Mane luceſcente diſceſſus, neſcio qua re, dilatus primo in meridiem, poſtea in diem inſequentem. Ferentius, tribunus militum, præcipuus iſtius conſilii autor, præceſſit, apparaturus, ſicut præ ſe ferebat, quæ ad trajectum eſſent neceſſaria. Nos iter per Zelandiam ſtatim ab initio, et propter plurimas rationes diſſuaſimus; tum, quia illud incommodum, difficile, laborioſum, inprimis autem loculos noſtros eſſet exhauſturum et inaniturum; tum quod Dunkerka piratarum domicilium propius accedenda et præternaviganda, ac exinde propinquiora futura eſſent diſcrimina: tum ſi ventus ſecundus Vlyſſiponæ expectandus eſſet, Dunkerkanos vicinos cognituros, Electorem ibi eſſe, et obſervaturos eius egreſſum; quo circa e ſtatione Gorcana in Batavia, vbi meliores pluresque naves deſtinatæ ad transvehendum Principem in ancoris præſtolarentur, trajectus præterea æque brevis et facilis eſſet, eodemque cum vento, ſicut ille ex Zelandia, perfici poſſet, ſolvendum, atque interea vel Hagæ, vel alibi in vicina, ſine tantis impenſis, quæ in diverſorio hoſpitantibus, et ex vno in aliud commeantibus, faciendæ ſunt, opportunitatem venti exſpectandam eſſe, conſultius judicavimus. Hic Vlyſſiponæ duæ tantum naves bellicæ, et quidem e numero minorum adſunt, mediocri tormentorum copia inſtructæ, quæ Principem noſtrum vel devehere, ſi eas conſcendere, vel concomitari, ſi Anglica, in navi ire malit, juſſæ ſunt. Nam ex Anglia hiſce diebus navis regia adpulit; eam ab Electore conſcendi

An-

Angli, qui comites itineris ſunt, volunt, tum quod in ea ſecurior & tutior ſit navigaturus propter Dunkerkianos & Hiſpanos, qui non auſuri eſſent, adoriendo regiam navim communia pacis fœdera rumpere: tum quia genus ignominiæ et contemtus foret, ſi Bataviam præferre, & huic ſe, quam illi confidere mallet: alii, præſertim, qui Ordinibus confederati Belgii ſacramento obſtricti ſunt, diſſuadent: navem Batavicam maiorem velis aptiorem, & ad confligendum, ſi neceſſe foret, expeditiorem eſſe pertendunt: anglicam, immundiorem, et inhabiliorem, neque nautas tam agiles et expertos; tum non pugnaturos, ſi hoſtis aggrederetur. Quid Princeps in hoc diverſarum opinionum conflictu facere debeat, ſuaſu eſt difficile: ego, cuius prima conſilia neglecta ſunt, quæ tamen ſaniora fuiſſe confiteri coguntur, pœnitetque fortaſſe non auſcultaſſe, haud me ingero, neutrum, nec ſuaſurus, nec diſſuaſurus. Animadverto tamen Electorem conſtituiſſe in Batavia, concomitante altera, quæ ambæ quidem parvæ ſunt, transfretare. Neſcio, quid debeam dicere & augurari de toto hoc noſtro itinere, ejus apparatu, & comitibus. Præpoſtere ferme omnia agi, &, quia recta atque ſalubria conſilia floccipenſa et neglecta fuerunt, ex vna in aliam difficultatem res implicari deprehendo. Sic fit, quando deteriora et placentia vtilioribus & tutioribus præferuntur: tum plerumque malus eventus conſequitur. Hinc eſt, quod neſcio, qua animi ſollicitudine tactus, nihil fauſti et ſecundi de hac profectione, cujus ſcopus & forma mutata, alium quoque ſucceſſum, quam prævidimus, producere neceſſe habet, ominer, ac proinde eo ardentioribus votis Deum deorem, vt Electorem, & ejus comites, bene ac feliciter ducat & reducat. Ad alterum argumentum hujus ſcriptiunculæ devenio, quod in eo conſiſtit, vt te, Vir illuſtris, oppido valde, & pro ea, qua me ſemper complexus es benevolentia, rogem, vt parvas & levidenſes meæ, majori ex parte deperditæ, ſupellectilis & bibliothecæ, reliquias & tabulas e naufragio conſervatas, quas mihi Ampliſſimus Vir Caſparus Vosber-

gius nuper Colonia Agrippina, vbi delitescebant, attulit, in tuas ædes & tuitionem recipere velis, vsque dum bonis avibus revertar. Hoc genere officii meritorum in me tuorum cumulum accumulabis, & me tibi, tuisque, magis atque magis, ad omne grati animi debitum nullo non tempore testificandum et declarandum devincies. Vale quam optime, Amicorum et Patronorum summe. Dabam Vlyssiponæ eo ipso die, quoad navim conclamabatur, III. Kal. Novembr. clo Io c xxxv.

Epistola XXXVI.

Quas ad te, Orator Illustrissime, nudius octavus, illo ipso die, quo nobis navis conscendenda & vela facienda erant, dederam, solas et vltimas futuras arbitrabar, quas ex his oris ad te essem scripturus. Sed fors aliter tulit. Postquam enim vnam noctem & biduum ferme in alto navigassemus, vento zephyro, cum quo ingressi eramus, subito in Austrum, & turbinem pluviosum mutato & præcipitato, redire in Zelandiam coacti fuimus. Vt autem scias, quomodo hoc factum sit, paucis sic habeto. Princeps Elector impatiens moræ, tum pudore et pœnitentia ductus, quod neglecto salubriori consilio, profectionem & iter per Zelandiam instituerit, falso sibi persuadens, quovis cum vento inde in Angliam trajici posse, pertendebat omnibus modis, vtcunque ventus esset, dum non foret totus contrarius, & tempestuosus, enavigare. Cum itaque postridie Kal. Nov. ventus Favonius, qui quidem Vlyssipona in Angliam soluturis, & transfretaturis, non est secundus & a puppe ferens; talis attamen, cum quo in altum egredi, & obliquatis sinubus, adjuvante reciprocantis maris æstu, trajectionem suscipere, & perficere licet sudo cœlo; spiraret, confestim Princeps, consilio vnius aut alterius Placentini vsus, navim conscendit, nobis contrarium sentientibus, & ex aspectu ætheris prædicentibus, ventum illum & subdolam aëris pellaciam seu seritatem haud diu duraturam; sed brevi spatio in turbinem & tempestatem exituram: adhæc evidentissimum fore periculum a piratis Dunkerkianis, qui

cu-

cognito Principis egreſſu, occaſionem & tempus eſſent nacturi, eum venandi & perſequendi. Si ſcilicet obliquando ſinus, & noctu in ancoris ſtando, mora in mari facienda eſſet. Vix in altum perveneramus, ventus zephyrus magis ac magis increbreſcebat, nubes denſabantur, & nimbum ciebant: ſub crepuſculum ancoræ projectæ navim per totam noctem, qua continenter pluebat, attinebant. Imber effuſiſſimus, repreſſo & pulſo Favonio, Auſtrum procelloſum, a quo mare decumanis inhorruit fluctibus, produxit. Orto die, ancoræ levabantur, & vela expandebantur; interea a longinquo, & velut e ſpecula prævidebamus ingruentem tempeſtatem, quam effugere & evitare aliter non licebat, quam vt mutato navigationis curſu, in eundem, vnde eſſemus egreſſi, aut in alium vicinum, pro temporis & ventorum ratione commodum portum, rediremus. Princeps exagitatione impetuoſiore et irremiſſibili, navis ſurſum ac deorſum euntis, mirum in modum defatigatus & fractus, non poterat diutius perferre violentiam volutationis, quæ ei nauſeam & vomitionem ſatis periculoſam ciebat ſine intermiſſione. Vento igitur vela accommodari, & curſum retroflecti jubet. Terveram denique, quia ingreſſus in hunc portum facilior & expeditior judicabatur, appulimus, inopes quidem conſilii, neſcio quid porro nobis faciendum ſit, inopes etiam nummorum, ſolliciti, vnde hi comparandi ad neceſſarios ſumtus faciendos, præſertim ſi nobis per aliquot dies, quod veroſimile eſt, expectanda eſſet venti faventis conſpiratio. Altera navis, quæ impedimenta & famulos noſtros devehebat, Vlyſſiponæ in portum, non ſine diſcrimine exantlato pervenit. Dum hic hæremus, opportunæ nobis redduntur tuæ literæ. Quas ad me ſcripſiſti, prælegi Sereniſſimo noſtro Carolo; viciſſim ille mihi & legendas, & ſibi prælegendas & explicandas dedit, quas ad eum ſcripſeras. Bone Deus quam ſapientes & ſolertes! quanta rerum & ſalubrium monitorum & conſiliorum copia graves! Ego certe Principi gratulor, & tibi ingentes gratias dico, quod tam candide, exacte, & accu-

rate sententiam tuam, quam in omnibus, maxime vero in ejusmodi genere rerum salutem publicam, & Palatinatus emolumentum concernentium, permagni merito facio; ad Principem Carolum, qui moneri & duci opus habet, de toto hoc ejus itinere, deque scopo, ad quem cuncta sua consilia & actiones dirigere debeat, perscribere volueris. Prudentissimas illas tuas commonefactiones pectoris mei armario inclusi, ad eas attente in capiendis & dandis consiliis respiciam, eruntque mihi instar cynosuræ, ad quam cursum mearum actionum et rationum in hoc itinere dirigam. Non omittam præterea, sicut desideras, te subinde de successu negotiationis nostræ certiorem facere, quem haud scio an felicem & prosperum sperare audeam, ita multa indicia et omina non vsque adeo fausta me terrent, et anxium ac timidum reddunt. Plerisque enim nostrum non is, quem omnes habere deberemus, propositus est scopus: privatus quisque cupiditates, libidines, et spes potiundi cupidis amoribus animo volvit, et in voto habet; cætera, quæ gloriam Dei, assertionem oppressæ religionis et libertatis in Germania, contingunt, πάρεργα æstimamus. Miraculum sit, si perpetuus hic et assiduus congressus, convictus, et consuetudo cum adolescentibus, ex quibus comitatus noster compositus est, non transversum rapiat, et e via regia virtutis et honesti, in avia vitiorum seducat, Principis nostri, tam bene educati et morati, cereum adhuc et mollem animum, præsertim quia magister et rector abest. Multa nostris oculis intueri, plura nostris auribus audire cogimur; quæ nobis videntur dictu et factu parum honesta, gravia, nedum ex dignitate. Quæ tamen nobis haud fas est reprehendere, objurgare, et de iis admonere, multo minus emendare et coërcere. Quin indignari, et vultu saltem declarare animi aversionem καὶ ἀντιλογίαν, crimen habetur. Tacere ergo, et intus dolere, ac suspirare consultius, quam redarguendo et commonendo crabrones irritare, et ad intendenda mala obstinatis, quæ callum in perversitate obduxerunt, mentibus ansam dare. Tanta enim

enim est inemendabilium juvenum pravitas, ferocia, impotentia, et fastus, vt quo magis eos officii admoneas, et in viam virtutis reducere annitaris, eo audacius et pertinacius illi recalcitrare, iterumque et cumulatius perpetrare soleant, quæ male commissa edocti fuerint: ni fecerint, existimationis se jacturam suæ fecisse autumant. Si supremus ille scelerum vindex nobis parcit, & incolumes e mari evadere, ire ac redire patitur; eius nimirum clementiæ, misericordiæ καὶ μακροθυμίας opus erit: non medius fidius nostræ probitatis & integritatis, quæ nulla est; quin loco illius inter nos corruptissima, dissolutissima, & contaminatissima regnat & dominatur vivendi ratio: adde iam contemtum bonæ disciplinæ & morum modestorum, ἀνηκοΐαν, ἀσωτίαν, ἀσωλγίαν, ἀσεβίαν, βλασφημίαν, & id genus vitia, & peccata, quæ inter decora & ornamenta, quibus homines affabiles, gratiosi & comes, quique ad Regum & Principum ministeria apti haberi & promoveri volunt, condecorati esse debeant, reputantur. Mihi sæpe in mente est horrendum illud exemplum, quod apud Parisium, scriptorem transmarinum, aliquando me legisse memini, de quodam Regis Angliæ filio naufragium passo, & cum omnibus sociis itineris & in eadem, qua ipse, navi vectis, qui pari, quo nostri vivebant, modo, demerso. Si eadem nos, qui mare transfretamus, pœna afficeremur, & piscibus esca nataremus; nulla nobis injuria fieret. Sed averruncet a nobis mala ista clementissimi Dei commiseratio. Miseret autem me optimi, & tanta cum cura ac felicitate instituti nostri Principis, cuius aures & oculi, ablit vt animus quoque, imbuuntur, & conspurcantur ista adolescentum, perditis moribus præditorum, conversatione & collocutione, quæ sane bonæ frugis semen insitum non sinit esse καρποφόρον; sed suffocat, si emergere & prodire conatur. Ignosce vero, Vir Nobilissime, quod hæc talia ad te tam libere & confidenter scribam, & partem mearum sollicitudinum apud te, pro veteri inter nos consuetudine, deponam. Persuasus sum, & experientia cognovi, perplexum hominis, gravi

one-

onere depreſſi, animum, haud parum recreari & focillari, quando faſcem curarum & moleſtiarum, quo premitur & degravatur, apud fidum amicum ſequeſtrat, & deponit. Vale, amice & patrone maxime, atque dege quam proſperrime. Sanctiſſimæ tuæ familiæ pro ſuaviſſima, quam mihi tuis verbis nuntiarunt ſalute, gratias ago maximas: eam viciſſim amice et reverenter conſaluto, omniaque fauſta et ſecunda comprecor. Iterum vale ſeculi noſtri ocelle. Dabam Terveræ in Zelandia Prid. Non. Novembr. clɔ Iɔ c xxxv.

Epiſtola XXXVII.

Terveræ in Zelandia Prid. Non. Novemb. ad te ſcripſi, Orator Illuſtriſſime; ab illo tempore in hunc diem conticui, & ad neminem mortalium aliquid literarum exaravi: quanquam non defuiſſet ſcribendi materia. Significare enim debuiſſem, quam inauſpicato ſecundam noſtram navigationem ſidere inceperamus, quæ non magis ſucceſſit, quam prima. Poſtquam enim Terveræ ſubſtiteramus triduum, blandiente, ſed ſubdole, vento Japyge invitati ſumus ad conſcendendam navim. Elector vix eam ingreſſus, nec dum ancoræ, quod in fortunam ceſſit, levatæ, nec vela ventis expanſa erant; ecce ſævus & væſaniens Africus conſurgit: e comitibus quidam, quia videbant commorandum eſſe, confeſtim ad litus lintribus redibant; Elector vero in prætoria pernoctare voluit: altero mane circa crepuſculum decumanis fluctibus inhorruit fretum, adeo vt Princeps & nemo noſtrum auſus fuerit abnavigare phaſelo in vrbem. tota igitur illa die & inſequenti nocte in puppi cubandum erat. Reverſi tertia luce ad nota hoſpitia; ibi iterum per triduum manſimus: Ex improviſo tandem per centuriones et claſſiarios jubemur navim conſcendere; nec mora, vela facimus, & ſecundo veto ſubſolano, qui in veſperam tantum durabat, profecti tantum viæ illo die emenſi fuimus, vt certi eſſemus, nos quidem altero die in Angliam vento qualicunque, ſi non eſſet tempeſtuoſus, perven-

venturos; sed in alium et remotiorem portum delatum iri. Subsolano in Zephyrum, sed leniter flantem mutato, cursus flectendus erat Doveram versus, quo etiam commodum pertigimus. E portu naves regiæ, quarum magnus numerus erat, infinitis nos ænearum machinarum fulminibus, in signum lætitiæ et adgratulationis, salutabant; sed tam ruditer & inconsiderate, vt e suis tres, e nostris duos subitanea morte vivis exemerint; pluribus vulneratis. Cum quanto vero Princeps applausu et exultatione populi, cum quanta expressione benevolentiæ, quam Rex, et Regina, atque purpurati certatim declaratum eunt, significatum, quam gratus ipsis sit adventus tam cari nepotis, cognati, et amici, exceptus sit, et quanta cum humanitate et comitate continenter tractetur: hæc et similia ad te, Vir incomparabilis, referre debuissem: sed invaletudo mea, quæ etiamnum durat, & me strato plus solito continet, et ad negotia haud parum torpentem et languentem reddit, impediit: hæc eadem nunc causa erit, vt brevior sim futurus, quod vtrumque, prout tua perspecta æquanimitas est, ignoscs. Medicus, sub cuius curam me collocare sui coactus, bono iubet esse animo; recepturum propediem pristinam sanitatem.

In rebus nostris gravioribus, quarum causa huc venimus, vltra limen progressi non sumus. initium quidem factum est ab examinatione formulæ petendæ Investituræ, quam paulo aliter, atque ea quæ Rhenæ præscripta fuerat, concipere et formare iussus sum: eam ipse Rex revidit et me præsente, cui rationes suæ sententiæ dixit, correxit; ac præterea cum Henrico Martinio, JCto, legum civilium perito, in idem argumentum prolixius colloqui iussit. Jam in eo sunt, vt misso cursore Viennam, authenticas et manu Electoris descriptas literas illas petitorias Cæsari offerant, et responsum extorqueant. Quod ad cætera attinet, Principis nomine, qui rationum adducturam pondere se ad id permoveri passus est, libellum memorialem confeci, in quo omnia præcipua ca-

capita, adventus eius cauſſas et neceſſitatem, et quid hoc rerum tempore a Rege in ſui gratiam factum velit, exhibentia, complexus ſum. Eum Princeps Regi obtulit. Hic diligenter perlecto ſe ſuper omnia deliberaturum et tum animi ſui ſententiam declaraturum reſpondit. Si verum, prout debemus, promere volumus, confiteamur neceſſe eſt, Regem maiorem diligentiam, curam et ardorem in noſtris negotiis exhibere, quam nosmet ipſos. Ni impelleremur et excitaremur, altum fortaſſe ſomnum in lecto deliciarum auliçarum ſterteremus, parum ſolliciti quid de rebus gravioribus fiat. Similes ſumus iis, qui purulento acuto et mortifero ulcere affecti, illud quidem curatum et expreſſum cupiunt, ſed non tractatum. Horrent ad motas vulnera cruda manus. Προβουλεύματα mea, quæ vobis in conſilio Rhenæ prælegi, oracula eſſe magis de magis experimur. Pleraq., ne dicam omnia, quæ in iis continentur, et in medium allatum iri prædixi, nobis occinuntur: inde pro ſingulari tua ſapientia, et pro ea, qua res totius Europæ et huius regni metiris perſpicientia, iudicare potes, quis finis futurus ſit argonauticæ noſtræ expeditionis: an aureum vellus ſimus relaturi, nec ne? Aliquid certe reportabimus; ſed an illud voto et expectationi veſtræ ſit reſponſurum ignoro. Cætera ex Theobaldo Mauritio, cui quantum licuit per languorem, pluribus ſcripſi, velim cognoſcas. Si moleſtum non fuerit, rogo, vt lectiſſimam et honoratiſſimam familiam tuam, cum belliſſimis nepotulis, meo nomine quam reverenter et amanter conſalutes. Vale quam bene Europæ noſtræ Sidus. Dabam IV. Idus Decembr.

Londini Iɔcxxxv.

* * *

In ſuperſcriptione dictatoris Thomæ Cardinalis, dele vocabulum epiſtolarum, *quod præter editoris mentem, a neſcio quo adiectum eſt.*

)o(

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google